BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
E
43
NAPOLI

XLVIII
E
43

HORATII TVRSELLINI
ROMANI
E SOCIETATE IESV
LAVRETANAE HISTORIAE
LIBRI QVINQVE.

AD ILLVSTRISS. D.
PETRVM ALDOBRANDINVM
S. R. E. CARD.

NAPOLI

ROMAE,
Apud Aloyſium Zannettum. *M D X C V I I.*

SVPERIORVM PERMISSV.

CVM PRIVILEGIO SVMMI PONT.

NOS Ant. Maria miſeratione diuina tit. S. Agnetis in Agone S.R.E. Presb. Card. Gallus nuncupatus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Auximanus, Almæ Domus & Ciuitatis Lauretanæ Protector & Guber. perpetuus.

Vidimus & probauimus Hiſtoriam Lauretanam R. P. Horatij Turſellini è Societate Ieſu, in quinque libros diſtinctam: conſentit enim in omnibus cum antiquis traditionibus & ſcripturis Almæ Domus Lauretanæ. In cuius rei fidem hoc ei teſtimonium dedimus. Auximi in noſtris ædibus Epiſcopalibus, Die xiiij. Maij M. D. XCVII.

Ant. Mar. Card. Gallus Lauret. Prot. & Guber. perp.

EGo Claudius Aquauiua Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, Lauretanæ hiſtoriæ libros quinque à P. Horatio Turſellino compoſitos, per tres alios Theologos noſtræ Societatis, recognoſci mandaui: quos cum illi approbauerint, probo etiam vt poſſint imprimi, ſi ita placuerit Reuerendiſs. D. Viceregenti, ac Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij. Dat. Romæ die viij. Octobris, Anno Domini M.D.XCVII.

Claudius Aquauiua.

Imprimatur.

Alex. Prouiceſg.

Imprimatur.

F. Paulus Picus Reuerendiſs. Mag. Sac. Palatij ſocius.

ILL.MO AC REVER.MO D.

PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARD.

Horatius Turſellinus felicitatem.

CVM plurimis maximiſque in rebus diuina prouidentia elucet, Card. Ampliſſ.; tum vero præcipue in eo, quod parentem ſuam Deus hominum patronam parentéq. cõſtituit. Nam cum humanam imbecillitatem innumerabilibus expoſitam caſibus cerneret; talem ei cuſtodem ac præſidem iam inde ab initio deſtinauit; quæ ſalutem vndique cinctam periculis expedire, vitam veris ſalutaribuſque bonis cumulare vna ex omnibus maxime & vellet, & poſſet. Matrem quippe ſuam præpotens ille Deus diuinæ maieſtatis, poteſtatiſque ſociam, quatenus licuit, adſciuit. Huic olim cæleſtium, mortaliumque principatum detulit: ad huius arbitrium (quoad hominum tutela poſtulat) terras, maria, cælum, natu-

ramque moderatur: hæc annuente, & per hanc diuinos theſauros mortalibus, & cæleſtia dona largitur. Vt omnes intelligant, quicquid ab æterno illo, auguſtoque bonorum fonte in terras profluat, fluere per MARIAM. Ergo quæ regio? quæ gens? quæ natio eſt? vbi non illuſtratum miraculis, conſecratum ædibus, titulis inſignitum B. MARIÆ patrocinium exiſtat? Verum inter omnes B. Virgini ſacras ædes in omni genere vna eminet Lauretana: quæ & fama nominis ſui orbem omnium terrarum impleuit; & per tot iam ſecula in dies magis omnium gentium ac nationum concurſu, frequentiaque celebratur. vt cætera B. MARIÆ templa ſingularum ferme ciuitatum ac regionum, hoc vero omnium gentium ac populorum commune perfugium eſſe videatur. Huius igitur ſiue Ædis, ſiue Domus hiſtoriam tibi, PETRE ALDOBRANDINE potiſſimum dedico, tum communi Societatis noſtræ, quam ſingulari beneuolentia complexus es, nomine; tum meo, qui eandem ob cauſam, plus quam pro virili parte egregiæ humanitati tuæ debere me fateor. Nec vero quiſquam mirari debet, hanc à nobis hiſtoriam Latinis litteris eſſe mandatam. Errant enim (nonnullorum pace dixerim) & rem patriæ linguæ ſtudio magis, quam veritate ipſa metiuntur, ſi qui exiſtimant, maiorem hiſtoriæ fructum ex noſtratibus hiſce litteris recentibus atque Etruſcis percipi, quam ex veteribus illis ac Latinis. Etenim Etruſca lingua Italiæ fere terminis circumſcribitur,

bitur, quibus ipſis deinde interpres huius hiſtoriæ ſatisfaciet: at Latina per omnes propemodum gentes ac nationes longe lateque vagatur: vt Romanus ille ſermo etiam amplioribus, quam Romanum olim imperium, finibus terminetur. Quod ſi Lauretanæ Virginis tutela orbis terræ regionibus definitur; certe optare debemus, vt eius gloria ac fama perueniat, quocumque Chriſtiana religio cultuſque penetrauit. Quare Card. Ampliſſ. eadem benignitate, qua noſtros homines ſoles, hoc qualecunque noſtri Ordinis munus accipies: & clariſſimum PETRI ALDOBRANDINI nomen ſimul cum Lauretana hiſtoria diſiunctiſſimas quoque terras, ac regiones peragrare patieris. vt idem ſit ſingularis tuæ erga Lauretanam Virginem religionis monumentum, & pignus noſtræ erga tuum nomen gratæ ac propenſæ voluntatis. Vale.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM ſicut accepimus dilectus filius Horatius Turſellinus Religioſus Societatis Ieſu Hiſtoriam ſacræ Domus Lauretanæ, magno ſtudio & diligentia conſcripſerit, & in lucem proferre ad piorum fidelium ſpiritualem conſolationem intendat, dubitetque ne ſi omnibus huiuſmodi Hiſtoriam imprimere liceat, illa mendis & erroribus repleatur. Propterea nobis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eumdem Horatium ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectũ præſentiũ duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati eidem Horatio, vt ad decẽnium proximũ, à prima dictæ Hiſtoriæ impreſſione computandum, nemo tam in vrbe quam alibi, in toto ſtatu noſtro Eccleſiaſtico nobis, & S.R.E mediatè, vel immediatè ſubiecto, Hiſtoriam prædictam, tàm Latino, quàm vulgari Italico idiomate, ac tàm in paruo, quàm in magno ſolio imprimere, aut impreſſam vendere, ſeu venalẽ habere, ſine ſpeciali dicti Horatij, aut ab eo cauſam habentiũ licentia, poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ concedimus, & indulgemus. Ac propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſq. ſexus Chriſtifidelibus præſertim librorũ Impreſſoribus, & Bibliopolis, ne dicto decennio durante, in Vrbe, aut alibi, in dicto Eccleſiaſtico ſtatu, mediatè, vel immediatè ſubiecto, Hiſtoriam prædictam in quocunque idiomate, ſine ſpeciali dicti Horatii, aut ab eo cauſam habentium licentia imprimere, aut impreſſa vendere, ſeu venalẽ habere, vel proponere audeant, ſeu præſumant, ſub quingentorum ducatorũ auri de Camera, pro vna Cameræ Apoſtolicæ, ac pro alia dicto Horatio, ſeu ab eo cauſam habentibus, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exſequenti; nec non amiſsionis, & librorum & Typorum omnium prædicto Horatio, ſeu ſuis præfatis pariter applicandorũ pœnis, eo ipſo incurrendis inhibemus; ac dilectis filijs noſtris S.R.E. Camerario, ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & alijs Iuſtitiæ miniſtris, cæteriſque ad quos ſpectat, vt eidẽ Horatio, & cauſam ab eo habentibus ſupra ſcriptis in præmiſſis efficacis deffenſionis præſidio aſſiſtendũ, pœnas prædictas contra quoſcunque contradictores irremiſibiliter exequantur mandamus. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ac priuilegijs, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorũ, quomodolibet conceſſis, cõfirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis eorũ tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus: cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt præſentiũ tranſumptis, etiam in ipſa Hiſtoria impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem fides, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, adhiberi debeat. Dat. Romæ apud Sanctũ Petrum ſub annulo Piſcatoris, die V. Ianuarij. M. D. XCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

M. Veſtrius Barbianus.

INDEX CAPITVM

HISTORIÆ LAVRETANÆ

LIBRI PRIMI.

BEATAE Mariæ Domus ingenti honore in Galilæa colitur. Cap.1.

Amiſſo cultu, diuinitus aſportatur in Dalmatiam. Cap.2.

Deiparæ monitu agnoſcitur, & miraculo illuſtratur. Cap.3.

Certis hominibus in Galilæam miſſis miraculum exploratur. Cap.4.

Demigrat ex Illyrico ingenti cum luctu Dalmatarum. Cap.5.

In Picenum aduecta Recinetenſem inſidet ſyluam. Cap.6.

E ſylua transfertur in collem duorum fratrum. Cap.7.

Ex fratrum colle ob eorum diſcordiam demigrat. Cap.8.

Veſtigia locorum, quæ Sancta Domus occupauit. Cap.9.

Præcipuus locus, ſituſque admirabilis Aedis Lauretanæ. Cap.10.

Dalmatarum indicio Picentes eam agnoſcunt. Cap.11.

Heremita Picentes ad rem explorandam impellit. Cap.12.

Sexdecim viris in Dalmatiam, & Galilæã miſſis, res exploratur. Cap.13.

B. Virgo Lauretana Patrona à Picenſibus adoptatur. Cap.14.

S. Domus cæleſtibus flammis celebrior redditur. Cap.15.

Parietes S. Domui pro fulcimento adiecti recedunt. Cap.16.

Cæleſtia lumina natalem B. Virginis diem celebriorem in natali eius domo faciunt. Cap.17.

Recinetenſes templum S. Domui circũdant. Cap.18.

S. Domus à Benedicto XII. Pont. Max. Indulgentijs ornatur. Cap.19.

Aedis Lauretanæ ſtatus Romanis Põtificibus Auenione ſedentibus. Cap.20.

Schiſmatis diuturnitas S. Domui obfuit. Cap.21.

Martinus V. S. Domum Indulgentijs, & Nundinis ornat. Cap.22.

Lauretani tẽpli opulẽtia Eugenio IIII. Pont. Max. Cap.23.

Lauretana Domus à Nicolao V. Indulgentijs augetur. Cap.24.

A Calliſto III. aduerſus Turcas communita S. Domus Barbaros alio vertit ingenti clade perculſos. Cap.25.

Sanitate Pio II. reddita, lõge celebrior, clariorque eſſe cœpit. Cap.26.

Ab Epiſcopo Recinetenſi luculentis prædijs donatur. Cap.27.

Lauretanæ hiſtoriæ ſumma à Præpoſito Teremano in æde proponitur. Cap.28.

LI-

LIBRI SECVNDI.

PAVLVS II. peſtilentia exemptus Lauretanam Aedem decretis ornatam nouo templo decorare molitur. Cap. 1.
Iacobus Frãciſcanus ab inſanabili morbo, & Dæmonum oppugnatione liberatur. Cap. 2.
A Xyſto IIII. Pont. vetera decreta cumulantur nouis. Cap. 3.
Ingens Turcarum manus Lauretanæ opulentiæ imminens diuinitus fugatur. Cap. 4.
Ab Innocẽtio VIII. donis colitur. Carmelitanis committitur. Cap. 5.
Baptiſtæ Mantuani de S. Domo teſtimonium. Cap. 6.
Nobilis mulier e Gallia à ſeptem diabolis obſeſſa liberatur. Cap. 7.
Recinetenſis ciuitatis donum ob depulſam peſtilentiam. Cap. 8.
Iulij II. decreta, nouique templi molitio. & nobilium dona. Cap. 9.
Paraclytica mulier nobilis ſanatur. Cap. 10.
Iulius II. Lauretanum templum abſoluit, munitque. Cap. 11.
Iulius à bombardæ ictu protectus S. Domum donis colit. Cap. 12.
Septennis puella à B. Virgine ipſa Lauretum adducitur. Cap. 13.
Circa veſtibulum templi Lauretani ædes Pontificiæ à Iulio II. incboantur. Cap. 14.
Aedes Lauretana à Reginis Neapolitanis aditur. Cap. 15.
A Leone X. ampliſſimis decretis ornatur. Cap. 16.
Egregijs ornamentis doniſque decoratur. Cap. 17.
Sacerdos Dalmata Lauretum venit ſua exta præferens manu. Cap. 18.
Turcarum incurſiones diuinitus arcentur. Cap. 19.
Chriſtiani exercitus auaritia eluditur. Cap. 20.
Lauretum à Leone X. mœnibus cingitur: eximium cælaturæ opus vrgetur. Cap. 21.
Clemens VII. decretis, alijſque rebus S. Domum ornat. Cap. 22.
Architectus ſacros parietes perfodere auſus exanimatur. Cap. 23.
Clemens Lauretanæ Virg. ope adiutus eam impenſius exornat. Cap. 24.
Lauretum exciſis nemoribus, ſalubrius redditur. Cap. 25.
Clemens tribus cubicularijs in Dalmatiam, & Gallilæam miſsis, Lauretanæ Domus migrationem explorat. Cap. 26.
Tres viri illuſtres ex mortis faucibus eripiuntur. Cap. 27.
F. Leandri de Lauretana Aede teſtimonium. Cap. 28.
Lauretana Aedes plurimis colitur donis. Cap. 29.

LIBRI TERTII.

A Paulo III. beneficijs, decretiſq. decoratur. Cap. 1.
Lauretum Recinetenſium fidei committitur. Cap. 2.
Contubernium puerorum inſtituitur, qui Virgini laudes canant. Cap. 3.
Noſocomium, & Xenodochium peregrinis aperiuntur. Cap. 4.
Reliquiæ Aedis Lauretanæ eius religionem propagant. Cap. 5.
Cælati operis, quo ſacra ædes conueſtitur, deſcriptio. Cap. 6.

Tem-

Templi tholus ruinas agens firmatur. Cap. 7.
Nouis Lauretana Aedes donis augetur. Cap.8.
Turmæ equitum Præfectus euidẽti fluminis periculo eripitur. Cap.9.
Paulus III. Lauretanam Aedem bis inuiſit. Cap.10.
Aedes Lauretana ſacellis, & cæleſtibus prodigijs decoratur. Cap. 11.
Iulius III. Collegium Societatis Ieſu Laureti inſtituit. Cap.12.
Cæleſtes flãmæ in ipſo templo Lauretano viſa. Cap.14.
Duo Capucini fluctibus maris eximuntur. Cap.15.
Adoleſcens ex fluctibus vorticibus eripitur. Cap.16.
Puella Lauretana è puteo, ciuis Caietanus è carcere liberatur. Cap.17.
Baſſa Turcarum à Lauretana Virg. ſanatus eam donis colit. Cap.18.
Aedes Lauretana Illuſtrium hominũ muneribus augetur. Cap.19.
Marcellus Ceruinus Card. Lauretanæ Virg. monitu, ſe Põtificem futurum cognoſcit. Cap.20.
Aucto Ieſuitarum Collegio, Lauretana celebritas adaugetur. Cap.21.
Lauretana Aedes donis cumulatur. Cap.22.
A Gallico exercitu cum multorum ſalute celebratur. Cap.23
Vtinenſis ciuitas à peſtilentia prohibetur. Cap.24.
Cæcis duobus lumẽ reſtituitur. Cap.25.
Nauarchus Genuenſis duplici naufragio eximitur. Cap.26.
Iuuenis innocens carcere, alter bis ſuſpenſus ſupplicio liberatur. Cap.27.
Sicula mulier iugulata ſanatur. Ca.28.
Genuenſis de Lauretana æde dubitans malo doctus reſipiſcit. Cap.29.
S. Domus violatores diuinitus puniuntur. Cap.30
Expilatores diuinitus comprehenſi afficiuntur ſupplicio. Cap.31.
Duo adoleſcentes Dæmonum ſeruitio eximuntur. Cap.32.
Iuuenis in ſeruitutem aſſertus à Dæmone, liberatur. Cap.33.

LIBRI QVARTI.

PII IV. & Card. Vrbinatis ſtudiũ Lauret. Domus ornandæ. Cap.1.
Picentium cura; & B. Virg. tutela Lauretanæ Domus. Cap.2.
Conimbricenſis Epiſcopus malo doctus S. Aedi lapidem reſtituit. Cap.3.
Relatus lapis magno apparatu, concurſuque celebratur. Cap.4.
Plures præcipitis ruinæ periculo liberantur. Cap.5.
Nauta naui amiſſa, B. Virginis ope ſeruatur. Cap.6.
Duo viri fulminibus liberantur. Duæ feminæ ſteriles fæcundantur. Cap.7.
Multis deſperata ſanitas reſtituitur. Cap. 8.
Duo energumeni à vexatoribus Diabolis liberantur. Cap. 9.
Cæcis duobus uidendi facultas redditur. Cap.10.
Mutis duobus ſubuenitur, eorumq. alteri lingua reſtituitur. Cap.11.
Iudæus vinculis exemptus baptizatur. Cap.12.
Præcipua dona Pio IIII. Pont. Laureтum lata, miſſaue. Cap.13.
Pij V. de Aede Lauret. teſtimonium, & eius ornandæ cura. Cap.14
Domus Lauretanæ hoſpitalitas, eleemoſynæque. Cap.15.

Pij V. & aliorum Principum dona. Cap.16.
Alij ab inundatione fluminis, alij à tēpeſtate maris, ac prædonibus liberantur. Cap.17.
Complures Turcarum ſeruitio eximūtur. Cap.18.
Laqueo ſuſpenſus morti eripitur. C.19.
Duo ab vltimo ſupplicio liberātur. C.20
Lauretanæ Virg. auxilium in nauali de Turcis victoria. Cap.21.
A Gregorio XIII. Indulgentijs & vijs adornatur. Cap.22.
Celebritas Lauretana ſub annum Iubilæi. Cap.23.
Ioannis Auſtriaci pietas in Lauret. Aede viſenda. Cap 24.
Pietas & munificentia Ioannæ Auſtr. Mag. Duc. Hetruriæ. Cap.25.
Ducis Lotharingi vxor paralytica Laureti ſanatur. Cap. 26.
Duo præcipitati ex equo à morte reuocantur. Cap.27.
Quidam mortiferis plagis acceptis ſanatur. Cap.28.
Mater & filia à morte, alij ab alijs morbis liberantur. Cap.29.

LIBRI QVINTI.

CARD. Vrbinatis, & aliorum Principum dona. Cap.1.
Lauretani templi cultus augetur. C.2.
Collegium Illyricum Laureti inſtituitur. Cap.3.
Ducis Gioioſæ, & Regis Franciæ munificentia. Cap.4.
Alia Francorum Dynaſtarum dona. Cap.5.
Marchio Badenſis brachio captus ex vulnere perſanatur. Cap.6.
Bona Bauariæ Ducis, & aliorum Principum Germaniæ. Cap.7.
Italiæ Principum dona. Cap.8.
S. Domus violatores diuinitus puniuntur. Cap.9.
Epidauria nauis è manibus piratarum eripitur. Cap.10.
Lauretum ciuitatis iure, & Epiſcopali Sede donatur. Cap.11.
Card. Gioioſa ſuum Franciæ patrociniū B.Virgini commendat. Cap.12.
Card. Galli egregia ſtudia erga B Virg. Cap.13.
Dona Xyſto Pont. Lauretum lata, miſſaue. Cap.14.
Epiſcopus Hybernus bis Hæreticorum manus euadit. Cap.15.
Duo Sacerdotes Sacræ Domus calcem reſtituunt. Cap.16.
Duobus B.Maria eadē ſpecie, qua Laureti colitur, apparet. Cap.17.
Eques Belga inſigni miraculo ab hoſtibus liberatur. Cap.18.
Surdus aurium vſum recuperat. Ca.19.
Munera Gregorio XIV. Pont. Virgini miſſa, aut lata. Cap.20.
Clementis VIII. Pont. Max. Indulgentiæ, & virorū illuſtrium dona. C.21.
Illuſtrium feminarum munera. Ca.22.
Dona Chriſtinæ Mag. Duc. Hetruriæ. Cap.23.
Sacerdotis Hiſpani donum miraculo inſigne. Cap.24.
Armillæ B. Virgini oblatæ ſua ſponte Chriſti manibus inſeruntur. Cap.25.
Duo ex mortis faucibus erepti. Cap.26.
Homo facinoroſus S. Domus aditu diuinitus prohibetur. Cap.27.
Quidā à cædis conſilio reuocatur. C.28.
Celebritas & maieſtas Aedis Lauretanæ. Cap.29.

FINIS INDICIS CAPITVM.

AVTHORES
QVI IN HAC HISTORIA CITANTVR.

F. Albertus Leander.
F. Ambroſius Nouidius.
Annales Flumenſes, apud Hieronymum Angelitā.
Annales Recinetenſes apud eundem.
Annales Lauretani Raphaelis Riera.
S. Antoninus Archiep. Flor.
Baptiſta Mantuanus.
Beda.
S. Bernardus Abbas Clar.
Bernardinus Cyrillus.
Blondus.

Bulla:
- Benedicti XII.
- Bonifacij IX.
- Martini V.
- Nicolai V.
- Xyſti IV.
- Pauli II.
- Iulij II.
- Leonis X.
- Clementis VII.
- Pauli III.
- Iulij III.
- Greg. XIII.
- Clementis VIII.

Codices Lauretani Donorū.
Chronica S. Franciſci.

Diarium Iulij II.

Franciſcus Vicciardinus.

Gulielmus Tyrius.

S. Hieronymus.
Hieronymus Angelita.

Iacobus Victriacus.
Ioannes Villanus.
Iodocus Clitoueus.

Nicephorus Calliſtus.

Onuphrius Panuinus.

Paulus Aemilius.
Platina.
Præpoſitus Teremanus.

Sabellicus.

Victorius Brigantius.



ECCE TABERNACVLVM DEI
CVM HOMINIBVS.

Apoc. xxi

HORATII TVRSELLINI
E SOCIETATE IESV
LAVRETANAE HISTORIAE
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

ÆDIS Lauretanæ hiſtoriam, à multis inchoatam magis, quam perfectam, à pleriſque auidè expetitam, iam diu molior ad noſtram ætatem à primordio euoluere. Vtinam, vt ſpiſſum opus, & operoſum fuit, ita operæpretium fecerim. Quippe omnia ferme, quæ ſiue Laureti, ſiue Recineti, ſeu Romæ, alibive extãt eius rei monumenta quam diligentiſsime conquiſiui. Ex his quæcunque ad rem pertinere videbantur, ita decerpſi, digeſſique, vt iuſtum corpus efficerent. Et ſuſcepti operis curam grauiorem fecit cura ſucceſſus. Namque rem aggredienti nec paruæ, nec paucæ dictu res occurrebant, quæ animum ſolicitarent, & à propoſito deterrerent meum. Primum auguſtiſsimi huius ſacelli origines adeo mirabiles, inuſitatæque ſunt; vt penè incredibiles videri poſsint, ſi humanis rationibus conſilia diuina penſentur. Deinde maiorum noſtrorum in talibus rebus memoriæ prodendis, incuria bonam ſubtrahebat materiæ partem. Arrogantiæ porro eſſe videbatur, in re à pluribus non cõtemnendis ſcriptoribus parum feliciter tentata, euentum ſperare meliorem. Poſtremo meæ tenuitatis conſcius verebar, ne tanti operis molem maiore animo, quam conſi-

lio ſuſcepiſſe exiſtimarer. Præſertim cum ea narrare aggrederer, quæ quia fidem propemodum excederent, diſſerendo fierent minora vero. Itaque timendum videbatur, ne ſummæ ſanctiſsimi templi famæ detraherem aliquid potius, quam adderem, & ſuperuacaneo labore nihil aliud, niſi reprehenſionem prudentium quærerem. Cæterum, vt me collegi; creuerunt animi, difficultateſque ceſſerunt. Res enim quamuis admirabilis, & antea inaudita; vſque eo tamen certa iam, explorataque habetur; vt de ea ambigere, ac dubitare ſit nefas. Quippe ſumma cum fide à maioribus, velut per manus accepta deinceps traditur poſteris. Nec Illyricis, Recinetenſibuſque monumentis ſolum; ſed hiſtoricorum quoque, Romanorumque Pontificum authoritate nixa eſt. Ad hæc vetuſtam fidem conſtans tot ætatum conſenſus, concurſuſque omnium gentium adfirmauit. Porrò loci religionem incredibilis tum votorum copia, tum donorum opulentia inſignem facit. Nec vetera magis, quam noua quotidie illuſtrant miracula. Vt de tam teſtata, explorataque re addubitare non poſsit, niſi qui, aut de diuina vi, ac prouidentia dubitare velit; aut eximere ex hominum genere humanam fidem. Enimuero ſi templi Deiparæ incunabulis, Deique conceptu inclyti primordia longe auguſtiora cæteris enarremus; haud minus propenſo animo cunctæ gentes præcipuum eius decus probare debent, quàm præcipuum auxilium probant. Etſi autem maiorum indiligentia multarum nobis rerum adimit copiam; non tamen ſummæ rerum adimit facultatem. Namque illi minorum incurioſi ſedulos ſe in maioribus præbuere, Itaque ſi meum hoc qualecunque munus B. Mariæ cordi fuerit, vt ſpero; haud ſane diffido, cætera mihi in procliui, atque in expedito fore. Maria fauente nihil non proſpere cedit. Quod ſi forte, aut rei magnitudini pene incredibili, aut expectationi doctorum hominum noſter hic minus reſponderit labor; me certè iuuabit memoriæ tam inſignis

mira-

miraculi, Deiparæ Virginis gloriæ, humani generis tutelæ, denique accenſis piorum ſtudijs conſultum pro mea virili parte voluiſſe. Cæterum niſi me ſuſcepti operis amor fallit, non facile alia hiſtoria eſt, aut miraculis clarior, aut exemplis ditior, aut vſu frequentior, aut iucundior fructu. Hic quippe varium, ac multiplex Virginis Lauretanæ præſidium: hic præſentem eius in periculis cuiuſque generis opem: hic omnium ferme exemplorum documenta in illuſtri monumento propoſita intueri licet. Vnde tibi, familiæ, ciuitati tuæ, pro varietate temporũ, quod ex vſu futurum ſit, petas. Ac mihi quidem ingens diuinæ beneuolentiæ pignus habere videtur Italia, cui tale, tantumque donum inde vſque à Galilæa diuinitus eſt tranſmiſſum: vt dubijs in rebus confidat, nunquam ſibi eius tutelam defuturam, cuius prædem, vademque à Deo habeat natalem domum. Super hæc tantam Deus mortalium animis inſpirauit huius loci religionem; vt quicunque ad Lauretanam Aedem accedunt, non tam ad ædem Virginis, quam ad ipſam Virginem adire ſibi videantur. Et ſane hic Deus, Deique mater miro quodam modo præſentiam ſuam declarant. Hinc diuinus ille omnium pectoribus incutitur horror ad ſacroſanctæ Domus ingreſſum: hinc illud abeuntibus inijcitur eius reuiſendæ deſideriũ: hinc nobilis illa perditarum profligatarumque mentium in diuerſa mutatio. Quæ quidem perpetua Aedis Lauretanæ miracula ita euidentia ſunt; vt etiamſi deeſſent alia, quibus abundat, cuiuis facerent diuinæ præſentiæ fidem. Adeo nemo eſt, quamuis ſceleratus, ac perditus, qui ſi Lauretum adeat, non Deum cum matre in materno domicilio præſentem adeſſe ſentiat. Eſt autem hoc præcipuum, ac proprium templi Lauretani, vt eius religio, ac ſanctitas quotidie magis effloreſcat. Id adeo vel ex celeberrimarum ædium B. Virginis, aliorumque Diuorum comparatione facile apparet. Namque illarum celebritatem, cultumque, cum aliquandiu viguerit, pau-

latim deflorefcere videmus: huius vero maieſtatem, quod altiſsimis ſit defixa radicibus, cernimus per tot iam ſæcula, auctiorem in dies fieri, auguſtioremque. Sed iam aſpirante Deo, Deiparaque, quorum totum hoc opus eſt, quorumque ope maxime nitimur, rem ipſam ordiamur. Quam quidem eiſdem illis fauentibus, non tam ſcribenti grauem, quam ſalubrem legenti, ac frugiferam ſpero futuram. Verum, & ſi Lauretanæ hiſtoriæ origo haud ferme ſupra trecenteſimum annum repetatur; altius tamen arceſſenda neceſſario eſt; quò tota res à capite, ac fonte liquidius fluat.

B. Mariæ Domus ingenti honore in Galilæa colitur, dum Christi fides in Palæſtina viget. Cap. I.

NAtalem B. Virginis domum Galilæa Syriæ regio olim habuit. Ibi in oppido Nazaretho illa genita, & educata eſt. Inibi ab ipſa æternus Deus Angelo prænunciante conceptus: & ſalutaria mortalibus Dei, ac Deiparæ veſtigia impreſſa. Nec loci ſanctitas, aut ignota pijs hominibus, aut neglecta vnquam fuit. Omnium primum ſatis conſtat, eam magnum ſemper nomen, venerationéque apud Chriſtianos habuiſſe: et eius venerationis authores ipſos fuiſſe Apoſtolos; ab his quippe Virginalem domum, ſeu prodendæ poſteris memoriæ, ſeu Chriſtianæ religionis augendæ ſtudio, rite conſecratam. Ex eo igitur tempore, & ipſi Apoſtoli ingenti eam honore coluerunt, & ab alijs pari religione cultam voluerunt. Apoſtolorum inde authoritas apud poſteros valuit. Cæteræque deinceps ætates certatim cæleſtis reginæ incunabula, Deique concepti veſtigia celebrarunt qua dignum erat religione cultuque. Itaque anno poſt Chriſtũ natum circiter CCC.

B.Virginis Domus ab Apoſt. conſecrata.

Anna. Flam. apud Angel.

(quo

(quo tempore Chriſtiana res, longa pace cuncta refouente, ſub tutela Magni Coſtantini florere cœpit.) D. Helena Auguſta domicilium Virginis perelegantí æde decorauit. Nam Palæſtinam peragrans (vt Nicephorus tradit) cum loca diuinis rebus nobilitata ſacris ædibus adornaret, *peruenit Nazareth, & ſalutationis Angelicæ domo reperta, peramanum inibi condidit templum*. Ex eo, non ſolum ab Aſianis, Afriſque, ſed etiam ab Europæis ſacra illa loca ſolito magis celebrari cœpta: & natale B. Mariæ tectum cæleſti nuncio, diuinæque ſobolis conceptu inclytum à pijs hominibus impenſius cultum. Argumento eſt, quod S. Hieronymus Romanæ Eccleſiæ columen, & B. Paula mulier e prima nobilitate Romana ſanctam illam terram luſtrantes *Nazareth nutriculam Domini* (vt Hieronymus appellat) adire. Tenuit hæc religio multa ſæcula. Namque etiam anno à Virginis partu circiter D.CC. cum Hieroſolyma Saracenis capta teneretur armis, ſacra Syriæ loca, & templum vbi domus erat, in qua Angelus B. Virginem ſalutauit, à peregrinis Europæis viſebatur. Huius rei author eſt Beda ab illa ætate recens. Neque enim adeo iniqua Hieroſolymæ, & in Palæſtina Chriſtianorum conditio ſub Saracenis erat, vt deinde ſub Turcis fuit. Hi quippe anno circiter M. L. Syria, ac Hieroſolymis potiti Chriſtianum nomen indignis modis vexare cœperũt. Cuius rei fama Vrbanum II. Pont. Max. ad indicendum nouo inſtituto ſacrum bellum accendit. Quo bello Europæorum, ac præcipue Francorum Principum arma Gothofredi Ducis Lotharingi ductu Hieroſolymam, Palæſtinamque recepere, anno ferme M.C. Inde quamdiu Hieroſolymitanum ſtetit regnum, viguit, vt cum maxime Sanctorum religio locorum. Inter quæ non poſtremum locum obtinebant Deiparæ Virginis incunabula. Ergo Tancredus genere Normanus, is cuius egregia virtus ſacro bello enituerat, Galilææ præpoſitus Nazarenam Eccleſiam ingentibus donis coluit. Et eam deinde non

[Margin notes: A S. Helena templo decoratur. | *Niceph. lib. 8. cap. 30.* | A S. Hieronymo & B. Paula viſitur. | *Hier. epi. 27. ad Euſtoch.* | *Guliel. Tyr. lib. 1. bel. ſac.* | *Bed. de loc. Sanct.* | *Gul. Tyr. lib. 1.* | *Idem lib. 3.* | *Paul. Aem. lib. 4* | Hieroſolyma recepta. | Nazarena Eccleſia Metrop. facta.]

magis

magis opulentia, quam loci ſanctitas Metropolim fecit. Harum rerum authorem habeo Gulielmum Tyri Archiepiſcopum, qui ſuppar fuit temporum illorum. Quin etiã huius fere æqualis Iacobus Victriacus Patriarcha Hieroſolymitanus tradit, crebro ſe Nazarethum religionis ergò petrexiſſe, ac ſæpe in æde, vbi ab Angelo ſalutata eſt B. Maria, rem diuinam feciſſe, ipſo anniuerſario Angelicæ ſalutationis die. Per eadem tempora duo nobiliſſimi ſacrorum militum ordines nati, Templariorum, & S. Ioannis, vterque deſtinatus excipiendis tutandiſque præcipue peregrinis ſacra illa loca viſentibus. Tantumque valuit huius præſidij fama, vt etiam à tranſmarinis, trãſalpiniſque gentibus perinde Natalis B. Mariæ domus celebraretur Nazarethi, vt Hieroſolymæ ſepulcrum, Bethlemi cunabula Saluatoris. Sed hęc quies parum diuturna. Saladinus Rex Aegypti Balduinum huius nominis Quintum Regem Hieroſolymitanum acie victum cepit. Protinus bellum circumferens Hieroſolymam, aliaſque circa vrbes, & oppida in ditionem ſuam redegit, anno ferme XC. quam in Chriſtianorum poteſtatem venerant. Tranſmiſerunt exinde in Syriam, vel ad Hieroſolymam recipiendam, vel ad Palæſtinæ poſſeſſionem retinendam Conradus Cęſar, Philippus II. Franciæ, & Robertus Angliæ reges cum ingentibus copijs. Cæterum ſiue hoſtium inſidijs, ſeu fraude locorum, ſiue ipſorum diſcordia circumuenti fractique, irrito incœpto domos redierunt. Secutus deinde Federicus II. Cæſar, idemque Siciliæ rex, & Hieroſolymitani regni titulo nitens. Hic Gregorij viiij. hortatu, impulſuque tandem in Syriam tranſmiſit exercitum. Sed amicitia, ac ſocietate cum Aegypti rege inita, Hieroſolymam, aliaque finitima oppida auro, non armis recepit anno circiter M.CC.XXV. maiore vtique fama, quam gloria. Nec diuturna magis fuit, quam glorioſa poſſeſſio. Paucis interiectis annis Parthi ab Scythis, ſeu Tartaris pulſi ſuis ſedibus, inuaſerunt Syriam.

Gul. Tyr. li. 9.

Iac. Victr. in deſcrip. terræ ſanctæ.

Gul. Tyr. li. 12. & 13. P. Aem. l. 5.

Paulus Aemil. lib. 4.

Paulus Aemil. lib. 6.

Paulus Aemil. lib. 7.

Syriā. Hieroſolymam nuper à Federico Cęſare refectā ſolo æquarunt. Igitur Ludouicus viiij. Rex Franciæ anno eius ſæculi XLV. copias in Syriam traijcit Chriſtianæ rei iam labenti opem laturus. Sed omnis conatus tandem ad irritum cecidit. Pius Rex potitus clauſtris Aegypti (Peluſium olim, tunc Damiatam vocabant) primò multa ſecunda prælia cum Aegyptio rege fecit: deinde premente lue, cogitur, reddita Damiata pacem redimere ab hoſte. Ad vltimum cum minus proſpero euentu res gereretur in Syria, deportat exercitum. Cæterum ante diſceſſum, ne gratuita foret Syriaca expeditio; aliquem inde ſi non belli, at pietatis fructum referre ſtatuit. Ergo ſacra illa Palæſtinæ loca perluſtrans (vt nonnulli authores ſunt) ex Tabore monte Nazarethum iter intendit. Vt primum B. Mariæ conſpexit ædem, ſtrenue equo deſilit, procumbit in genua: & venerabundus natalem Virginis domum, ipſamque ſalutat Virginem. Inde ad templum progreſſus pedibus, Dei filium inibi pro hominibus hominem factū, & ſimul ſanctiſſimam eius parentem enixius veneratur, colitque. Et aderat Gabrielis Archangeli nuncio, Deoque à Virgine concepto ſacer, ac ſolemnis dies. Itaque pius Rex (vt eum loci ſanctitas, ac ſua pietas admonebat) pridie pane dumtaxat, & frigida ieiunat, cilicio quidem ad carnem indutus. Feſto autem die rem diuinam ſolemni cærimonia, regioque apparatu celebrari iubet. Sub ſacrificium in auguſtiſſima Deiparæ cella ſacroſanctam Euchariſtiam ſumit, magna lacrymarum vi, ingentique religione perfuſus. Rarum vtique Chriſtianæ pietatis in Rege præſertim, ad poſteros documentum. Ex quo coniectari licet, quanto in honore, vel illa tempeſtate fuerit ſanctiſſima Virginis Domus. Nec vero diſceſſu Ludouici Regis extinctum eſt Chriſtianum nomen, Sanctorumque locorum cultus in Syria. Templarij enim adhuc in fide, & officio manebant: & tranſmarinis ſubinde auxilijs fulti ſumma ope tutabantur ſacræ terræ reliquias. Verum enim

Paul. Aem. lib. 7.

S. Ludouic. Domū Virginis veneratur.

Iodoc. Clitou. Ser. de S. Ludou.

S. Antonin. par. 3. Paul. Aem. lib. 8. Io. Vill. li. 7.

enim vero ſimul gliſcentibus in Italia ciuilibus bellis, ex funeſtis, Velforum Gibellinorumque factionibus; ſimul Angliæ, Franciæ, Aragoniæ regibus ad arma ruentibus, deſtituta ab Europæis, concuſſa à barbaris Chriſtiana res in Syria ad vltimum concidit. Aegypti quippe Rex Chriſtianorum Principum diſſenſionem, ſuam occaſionem ratus Tripolim vi cepit, diruitque. Inde Ptolemaidem celeberrimam, frequentiſſimamque Phoenicis vrbem, quæ ſola iam in Palæſtina pro Chriſtianis ſtabat, obſedit: tandemque expugnatam ferro, flammaque deleuit. Et extitit in barbaris inſigne Chriſtiani nominis odium. Ciues ad vnum cæſi: muri, ac tecta ſolo æquata: ad hæc ipſa quoque moenium fundamenta eruta, vt ne veſtigium quidem Chriſtianæ rei extaret in Syria. Ita demum amiſſa Ptolemaide, pulſi in perpetuum (vt videmur) Palæſtinæ poſſeſſione ſumus, anno à Virginis partu M.CC.XCI. Ex quo indigenę Chriſtiani partim dilapſi è Syria, partim, vt fit, in dominorum mores prolapſi. Exteri porro, ac peregrini terrore Turcici furoris (niſi auro via aperiatur) excluſi. Ac ſuprema illâ clades veterem ſacroſancti ſepulcri, quod primas religionis tenebat, cultum haud penitus aboleuit. Inuitat peregrinos opportunitas Hieroſolymæ vrbis olim regiæ, nunc præcipuæ. cuius propinquitas Chriſti cunabulorum quoque celebritati fauet. At natalem Deiparæ domum in Galilæa ſitam interualla locorum, ac deuia itinera, telis barbarorum infeſta haud quaquam aduenarum religioni opportunam faciebant. Quæ cauſa admirandi, & poſt hominum memoriam ad eum diem inauditi miraculi fuit.

Amiſſo cultu in Galilæa, diuinitus aſportatur in Dalmatiam. Cap. II.

NAm cum neque ab indigenis, neque ab exteris populis debitus ſacroſanctæ cellæ honos haberetur, non

non diu paſſus eſt Deus ſua, matriſque ſuæ veſtigia neglecta inter barbaros iacere. Eodem quippe anno, qui fuit ſuprema Palæſtinæ clade inſignis, Deo dilecta domus e Syria pariter cum religione diſceſſit. Author eſt Ioannes Villanus hiſtoricus eius ætatis ſane nobilis, Aprili menſe circiter medio anni M.CC.XCI. Ptolemaidem captam. Menſe igitur inſequenti eiuſdem anni, hoc eſt vij. Idus Maias, Nicolao IV. Pont. Max. (vt Illyrici annales perhibent) Deiparæ Domus aſportatur in Europam, cladem orientis tanto occidentis bono compenſans. Sunt qui facultates Ioachimi patris B. Mariæ ſpectantes, non tam domum eius, quam cubiculum putent à cætera ſeiunctum domo. Me quidem haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus ſimul cubiculum fuiſſe, & domum Virginis, ideſt tecti paterni partem præcipuam, placet. Argumento eſt (vt de fictilium armario taceam, quod inibi viſitur) ianua longe maior, quàm pro modo cubiculi à cæteris ædibus ſeparati. Nec Ioachimi fortunæ mouere nos debent. Nicephorus quippe Calliſtus tradit, Deiparæ Virginis parentes, propter bellicos Iudææ tumultus, ex oppido Bethlemo auita ſede, in Galilæam commigraſſe: & Nazarethi domicilium collocaſſe. Vt intelligamus hanc nõ auitam, ſed paternam Virginis fuiſſe domum, parum fortaſſe dignam paternis opibus; cæterum, vt temporis cauſa paratam, haud ſane incommodam, nec ab antiquę illius ſimplicitatis ſtudio abhorrentem. Omnino talis eſt, vt eximium illum B. Mariæ amorem paupertatis ſpirare videatur. Sed ſiue illud cubiculum, ſiue domicilium Deiparæ fuit; certe ab Apoſtolis dedicatum (vt ſupra diximus) & in templi formam redactum Chriſtiani deinceps excoluerant, ornauerantque. Hæc igitur ædes eius vi, ac poteſtate, qui ad preces D. Gregorij Taumathurgi, montem olim ſede ſua molitus alio tranſtulit, in gratiam cælitum Reginæ, à fundamentis auulſa eſt: atque haud dubio Angelorum miniſterio, inde vſque à Galilæa (mirum

Io. Vill. li. 7.

Ann. Illyr. apud Hiero. Angel.

Niceph. l. 1. cap. 10.

dictu, audituque) per ingentes terrarum, mariſque tractus in Dalmatiam tranſlata. Quippe id ſpatium patet amplius vicies centena paſſuum millia. Terſactum inter, & Flumen, (oppida ſunt Dalmatiæ) leniter accliuis mons eminet: quo in ſummo æquata agri planities ſedem efficit peramænam, Adriatico imminentē mari. Quod olim crebris fædiſque tempeſtatibus infame, ex eo tempore ſatis mitigatum ferunt. credas Virginem inſanos freti illius æſtus cellæ ſuæ obiectu cohibere voluiſſe; vt vel hinc conijceremus, quid ipſa effectura eſſet in mortalium vita, quæ varijs quotidie caſibus, & quaſi procellis agitatur. Hic igitur Nazarena domus, velut præcipua tutela periclitantium à cæleſtibus miniſtris, Deiparæ iuſſu, ſita eſt ſecunda circiter noctis vigilia. Vt primum diuinæ liberalitatis donum accolis lux oſtendit; enimuero animos rei nouitate attonitos non admiratio tantum, ſed etiam religio inceſſit. Ergo qui propius aberant, vt quiſque primus rem notauerat, certatim viſendi ſtudio accurrunt.

Deſcriptio ædis Laur. qualis tum erat.

Aediculam conſpiciunt faſtigiato tecto, & ſimul camini culmine, ſimul ſublimi tintinnabulo inſignem: at nulla re magis, quam vetuſtate viſendam. Protinus limen ingreſſi proſternere humi corpora: Deum venerari ſacro quodam honore pariter, gaudioque perfuſi. Inde orato Chriſto, Chriſtique parente, quorum ſimulacra cernebant, cuncta otioſe contemplari, & perluſtrare oculis cœperunt. Sacellum animaduertunt figurę quadrangulæ oblongę, e vulgari ſtructum lapide. Tectum perbelle laquearibus concameratum: quod modicis diſtinctum quadratis, cæruleoque colore obductum inauratæ ſtellæ, velut in cœlo quodam intermicantes honeſtabant. Sub tecto laqueato eminebant vndique è parietibus modica ſpecie ſemicirculi ſe mutuo contingentes: quos medios pictę adornabant capedines. Parietes cubitali ferme craſſitudine, non ad perpendiculum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio. Huic ſuperinducta anti-

quitus

quitus pictura ædis ipſius myſteria referebat: quę ſuperne multis locis hodie manet, inferne temporis vetuſtate defluxit. Aedis longitudo pedum amplius XL. latitudo minus XX. altitudo circiter XXV. In medio ferme pariete, qui olim, vt reor, faciem obtinebat domus, ianua ſatis ampla, ſed à vulgari vſu haud ſane abhorrens. Pro ſuperliminari trabs rudis ſuperiecta eſt. Ad læuam armariolum miræ ſimplicitatis aſſeruandis fictilibus aptum. Ad dexteram in proximo pariete feneſtra non magna: e regione feneſtræ caminus humilis, tenuiſque opere, vt cætera, vulgari. Inibi ſublime loculamentum columellis in orbē ſtriatis latera cingentibus conſpicuum: arcuſque eiuſdem operis, quinque iunctas pariter lunas imitante faſtigiatum. In loculamento B. Mariæ ſtantis, ac puerum Ieſum altera manu medium amplexantis, altera ſuſtinentis effigies cedrina fere bicubitalis. Cuius facies electro argentum referente oblita, ſed luminum infuſcata fumo. Cęterum illa ipſa infuſcatio antiquitatis, ac religionis index, impenſe auget Virginalis oris maieſtatem. Gemmata corona ſublimem diſtinguit verticem. Diſcriminati crines Nazarenorū ritu per nuda colli, & humeros fluunt. Simulacrum ſtola aurea tegit, latiore zona, gentis more ſuccincta, demiſſaque ad pedes. Palla cærulea ſtolæ ſuperinducta pendet ex humero: vtraque in eodem trunco cælata pictaque. Inſiſtit maternę dextræ puer Ieſus mortali ſpecie auguſtior, diuinę cuiuſdam maieſtatis indolem vultu pręferens. Priores dextrę digitos, bene precantis in morem tollit. Siniſtra aureum tenet globum. Et ipſe diſcriminato capillo, tunica talari, zonaque Nazarenum habitum refert. Ante Deiparæ effigiem, ara ſolido è ſaxo quadrato viſitur ſpirans ſanctitatem. Dalmatæ igitur cuncta per otium contemplati, & ſi quid tandem rei eſſet ignari; communi tamen conſenſu ita ſtatuūt, quicquid ſit, profecto donum id eſſe diuinum. Neque enim ædem illam repente humo excitatam, ſed aliunde

Simulacrū Virg Laur.

Dei nutu ac voluntate vtrique adductam. Igitur inde digreſſi, vt quiſque obuius ſit, ab ſe viſa commemorant. Nec mora. mortalium plerique, atque in his ægrorum nonnulli ad nouum tantę rei ſpectaculum confluere: aliquid inde opis expectare. Nec ſua eos ſpes feſellit. Loci religio ſanis corporibus mentis ferè ſanitatem, ægris etiam morborum curationem impertiebat.

Deiparæ admonitu, eius Domus agnoſcitur, & euidenti miraculo illuſtratur. Cap. III.

Anna. Flum. Hier. Aug.

A'exander Terſactẽſis Antiſtes.

CEleriter Terſactum, ac Flumen prodigioſi ſacelli fama perlata valentes ad viſendi cupidinem, ęgros ad ſpem valetudinis accendit. Alexander erat ſacrorum Antiſtes in æde S. Georgij Terſactenſis, vir antiqua probitate, æquè Deo, & hominibus carus. Is longinquo, grauique implicitus morbo iacebat: iamque exigua in ſpe trahebat animam, cum peropportune à familiaribus de diuina illa ęde fit certior. Extemplo ingens animum eius cupiditas cepit hauriendi oculis tanti miraculi voluptatem. Cęterum vrgente morbo, deferri eo fine certo vitę periculo nequibat. Igitur hoc ęgrius febris æſtum patiebatur, quòd affecta membra impetum animi haud quaquam ſequebantur. Nec tamen deſeruit ſe. Deiparę effigiem ſimul cum diuina illa ędicula delatam acceperat. Itaque B. Mariæ ſacellum haud falſo eſſe ratus, impenſe eius implorat opem: votum nuncupat non magis ſalutis recuperandę auidus, quam cęleſtis illius doni diuinitus cognoſcendi. Nec incaſſum miſſę preces. Intempeſta

B. Maria Alexandro apparet.

nocte, ſomnum inter, & vigiliam, Dei parens repente cęlo delapſa, cęleſtibus latera tegentibus, ſe illi obtulit: cubiculumque omne clariſſima luce compleuit. Mox benigno vultu, Bono animo, inquit, eſto fili. En vocata adſum pręſentem tibi opem, optatæque rei notitiam ferens. Sic igitur habeto, ſacram ędem veſtris nuper illatam finibus, illam ipſam eſſe domum, vbi ego olim genita, vbi

fermę

ferme educata ſim. Hic ego Archangeli Gabrielis nuncio, Spiritus ſancti opera, diuinam concepi ſobolem. Hic *Verbum caro factum eſt*. Ergo poſt noſtrum exceſſum, domum talibus myſterijs inſignem Apoſtoli conſecrarunt, celebraruntque certatim rem diuinam inibi factitantes. Ara pariter cum ęde allata ea ipſa eſt, quam Apoſtolus Petrus ſacris initiauit. Chriſti crucifixi imago, quę cernitur, olim ab Apoſtolis inibi poſita. Simulacrum porro cedrinum effigies noſtra eſt Lucę Euangeliſtæ manu, qui pro familiaritate, quæ illi nobiſcum interceſſerat, noſtram ſimilitudinem coloribus, quantum mortali fas erat, expreſſit. Hæc igitur dilecta cœlo domus per tot ætates in Galilæa maximis honoribus culta, nunc demum deficiente cum fide cultu, ex oppido Nazaretho ad veſtras migrauit oras. Nec dubia fides. Deus facti author, apud quem *impoſsibile non eſt omne verbum*. Cæterum vt horum tu ipſe ſis teſtis idem, præcoque; ſanus eſto. Tua ex longinquo morbo ſubita valetudo fidem miraculi faciet. Hæc effata ſublimis abit in cælum, cæleſti quodam odore in tectis relicto. Id vero non ludibrium ſopitæ, aut ægræ mentis, ſed veram fuiſſe ſpeciem, rei oſtendit euentus. Protinus Antiſtes miſta pauori lætitia euigilans, totus ſudore fluere cœpit: depulſaque repente febri, valens, ac vegetus ſurgit è lectulo. Mox non magis valetudine, quam Nazarenę domus indicio lætus ſubmittit genua; & oculos pariter, manuſque in cælum tollens Deo, ac Deiparæ Virgini pro duplici beneficio multiplices grates agit: tantum donum ſibi, patriæ, gentique ſuæ gratulatur. Inde ſimul illuxit, præ gaudio geſtiens in publicum prodit: & decori oblitus, homo id ætatis, authoritatiſque lymphato ſimilis per vicos, per plateas, per compita curſare cœpit, nocturnum viſum (vt quiſque obuius erat, ſeu notus, ſiue ignotus) exponere: Dei, ac Deiparæ donum, vel proprium, vel commune paſſim prædicare. Et erat ea vox, & vultus; is ardor animi ex oculis eminebat, qui facile

Alexander ſanatur.

cile dictis faceret fidem. Accedebat haud dubium argumentum, ſubita corporis ſanitas, roburque in eo, quem graui diutinaque conflictatum febri heſterna die vehemēter laboraſſe conſtabat. Quæ poſteaquam ad oppidanorum pleroſque pertulit rumor; confeſtim magni ad Antiſtitem concurſus fieri: & cæleſte donum gratijs Deo, Deique parenti agendis, certatim vno omnium ore celebrari. Princeps inter gratulantes, lætanteſque gaudio exſultans ibat Antiſtes: & addebat ad gradum natalem Virginis domum videre feſtinans. Quo vt venit, venerabundus votum, cuius ſe damnatum profitebatur, enixius exſoluit. Maior ſecundum hæc religio mortalium inceſſit animis. Neque enim vanus author, aut dubia fides ferebatur. Itaque ædes miraculis inclyta maioribus in dies accolarum ſtudijs celebrari, colique cœpta. Manare hæc primo ad finitimos fama; inde etiam ad remotos. Iamque omnibus circa populis templum illud ſanctum erat: omnes ardebant cupiditate tam inſolitæ tam celebratæ rei aliquando viſendæ.

Certis hominibus in Galilæam miſsis miraculum exploratur. Cap. IV.

Anna. Flum. apud Angel. PEropportune illa tempeſtate Nicolaus Frangipanius è prima nobilitate Romana, Croatiæ, Dalmatiæ, Iſtriæ Prætor (Magnus Ban ab incolis vocabatur) regionē illam adminiſtrabat, vir pietate iuxta, ac virtute inclytus. Idemque Dominus erat Fluminis, Terſactique. Is igitur ſimul rei miraculo, quod in ſuo fundo euenerat, ſimul Alexandri Antiſtitis ſermone, ac repentina ſanitate motus obſtupuit primo: inde lætus cæleſte munus in ſuo potiſſimum agro conſediſſe, & ipſe ſtrenuè in montem accurrit: ſanctiſſimamque ædem haud ſecus quam dignum erat, donis colere, atque ornare inſtituit. Cæterum quia

rei nouitas hominum memoriam, magnitudo ſuperabat fidem; tam inſolitum, inauditumque miraculum diligentius explorandum exiſtimauit. Verebatur quippe ne ipſorum credulitas ſuſpecta cæteris foret: neue tanta res plus admirationis, quam fidei eſſet ad poſteros habitura: Itaque re cum Antiſtite communicata, placuit certos homines in Galilæam mittere totam rem intentius inſpecturos. Ex omni numero lecti quatuor expertæ fidei, ac probitatis viri, in quibus Alexander ipſe Antiſtes fuit. Hi Nazarethum miſſi, omniaque explorata referre iuſſi. Igitur impigre conſcenſa naui; tranſmiſſoq. Adriatico, Ionio, Cretico, Cyprio mari, Palæſtinam ſecundo curſu tenuere. Nec mora. barbarorũ animis auro delinitis, Hieroſolymæ ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum venerantur. Inde fide publica, firmoque armatorum præſidio ſepti Nazarethum Galilææ vrbem, quod nauigationis caput erat, protinus pergunt. Ibi impenſius inquirentes comperiunt ex incolis non tam re, quam verbo Chriſtianis, domum natalem B. Virginis inde pauloante ſublatam. deducuntur ad templum ab Helena Auguſta olim ſacræ domui circundatum. cernunt templi diuinitus perrupti ruinas: cernunt eiſdem monſtrantibus aream, vbi ſacroſancta domus ſteterat: cernunt fundamenta, recentia ſanctæ domus auulſæ veſtigia. Dimenſi longitudinem, ac latitudinem areę, fundamentorumque craſſitiem, reperiunt omnia cum translatæ in Dalmatiam ædis, parietumque menſuris, quas ad id ſecum attulerant, prorſus congruere: tempus quoque auguſti ſacelli illinc ablati, auectique in Illyricũ conuenire. Ergo effuſa cum lætitia, & gratulatione domum reuecti Frangipanio Prætori explorata renuntiant. Ille enimuero tali nuncio admodum lætus manantibus gaudio lacrymis, Deo, Deique parenti grates ingentes agit: quòd ſe non ſolum viuente, ſed propemodum vidente, tantum miraculum extitiſſet, tam euidentibus prodigijs, talium virorum authoritate firmatum. Extemplo

plo igitur ad ædem Virginis ſolemnis, ac celebris indicta eſt ſupplicatio: maximoque peracta concurſu virorum, mulierumque. Ibi Alexander Antiſtes pro concione ad populum rem ordine expoſuit: ac Deum, Deiparam, mortales omnes, immortaleſque conteſtans propalam confirmat, nihil ſe compertis affingere. Si ſecus ſit, non recuſare quo minus cæleſtis ira meritas ex ipſo expetat pœnas. Nimirum hoc ipſos Dei matri gratiores eſſe oportere, quo res pene incredibilis exploratior afferatur. Quas velut miſſas è cælo voces cum circumfuſa audiret concio, repente ingenti gaudio efferri, nec temperare, quin gratulationibus lacrymiſque ipſum confunderent dicentem. Perorationem Antiſtitis excepere preces auditorũ, Deo, Deique matri grates, quibus ſignis, quibus vocibus poterant, agentium. Mirum quanta illi viro hæc nuncianti, affirmantique fides fuerit, non apud incolas ſolum, ſed etiam apud exteros: quantumque talium virorum teſtimonio, frequentiæ religioniſque ſacroſanctæ acceſſerit cellæ. Nec deerant crebra, illuſtriaque miracula, cum vndique ægri membris capti, energumeni adeſſent. Defuit tamen qui ea ſigillatim rite conſignata litteris proderet. Creſcebat cum populorum miraculorumque frequentia, religio loci, creſcebat & cultus. Auguſtiſſimæ quippe Aedis inſidens accolarum animis cura (cum interceſſe ſupplicantium precibus Virgo ipſa videretur) tanta religione omnium pectora imbuerat, vt eum locum à Deipara incoli, non ſolum diligi exiſtimarent. Itaque natalem Virginis domum, ipſamque Virginem quibuſcunque rebus ſciebant, poterantque certatim colere, & ornare cœperunt. Cæterum benignæ voluntati facultatum tenuitas obſtabat. Proinde ab eis pie magis, quam munifice eſt ornata. Mox etiam longinquorum populorum concurſibus celebrari, honeſtarique cœpta. Gliſcebat in dies rumor fortunatæ domus: natale B. Mariæ tectum diuinitus ad Terſactum è Galilæa deportatum: miſſos Nazare-

thum ſpectatæ fidei, virtutiſque viros rem perſpectam, ac teſtatam attuliſſe. Exciuit ea fama non Illyricos ſolum remotiores; ſed Iſtros, Croatas, Boſnios, Seruios, Epidaurios, cæteroſque eius tractus longe, ac late patentis populos, ad tantum miraculum, donumque viſendum. Multis quoque eorum præſens Virginis auxilium in dubijs, aduerſiſue rebus oblatum augebat in dies celebritatem loci. Enimuero Illyrici ſacræ Domus accolæ gaudere concurſu populorum: geſtire ſuam regionem apud exteras gentes, ac nationes ingenti gloria eſſe: credere ſe diuino iudicio cæteris gentibus eſſe prælatos, humanæ arrogantiæ vitio, cæleſtia dona meritis hominum magis, quam Dei benignitate æſtimantis.

Demigrat ex Illyrico ingenti cum luctu Dalmatarum. Cap. V.

CAeterum haud quaquam diuturnum gaudium, ac donum Illyricis fuit. Quadriennio non toto (deerant quippe menſes quinque) interiecto, ſacroſancta ædes ex ipſorum finibus ceſſit. cauſa in incerto eſt; alij aliam tradunt. Ergo ſiue quod ab accolis minus impenſe, quam dignum erat, coleretur; ſeu quod ab initio ad breue illius gentis ſolatium Beata Maria diuerſorium ibi potius, quam domicilium collocaſſet; ſiue vt Italiam Chriſtianæ religionis arcem bellis, cladibuſque afflictam præſenti refoueret ope, repente Dalmatis nil tale opinantibus, cæleſte munus aufertur: deferturque in Italiam, haud maiore Italicorum bono, gaudioque, quã Dalmatarum damno, atque luctu. Namque vbi diuinum illud pignus auguſtiſsimamque Deiparæ cellam alio auectam fama vulgauit; enimuero Terſactenſes, finitimoſque circa populos tam inopinatæ rei admiratio ingenti ſtupore defixit. Inde ſanctiſſimæ domus deſiderio ſtimulante, lymphati diſcurrere: conceſſum ademptumque à Amna. Flum. Hier. Ang.

Deo munus, quacunque eorum patebat regio, oculis, diu, ac voce quæritare. Poſteaquam id nuſquam apparebat, nec quo tandem migraſſet, conſtare poterat; promiſcua virorum, mulierumque multitudo orbitatis dolore icta, mœſtum pauliſper ſilentium tenuit. Tum vero emerſo ab ſtupore animo, effuſi ſimul omnes in lacrymas, querelaſque ingens ſuæ gentis vulnus prodere infinita lamentatione coeperunt. Nimirum illud cæleſte donũ ipſis oſtenſum, alijs traditum. Illud Dalmatiæ perfugium, illud ægrorum auxilium, illud miſerorum ſolatium, illud decus, ac præſidium nationis ſibi ereptum: talem patronam Dalmatis, talem tutelam ademptam finitimis gentibus. Vtique ipſos indignos tali pignore fuiſſe: minore id ab ſe religione, minore ſtudio quam par foret, cultum; ſed quam tandem vbiuis gentium religionem, quod ſtudium, quem cultum cæleſti illi, præcellentiſſimoque dono parem eſſe poſſe? hæc ſi cauſa mutandæ ſedis fuerit, vbicunque conſederit, ſubinde ſedem mutandam fore. Hæc, & alia pro ſe quiſque memorant, quæ præſens damni ſenſus, dolorque ſubijcit haudquaquam relatu facilia ſcribenti. Ad vltimum lamentandi defatigatione magis, quam ſatietate victi, ad Frangipanium frequentes coeunt; integratoque fletu, auxilium ab eo, & con ſilium petunt. Ille, & ſi communi vulnere ictus, mœſtuſque pluſquam pro virili parte, egebat ipſe ſolatio; vicit tamen animum, & mœrore diſſimulato, populi luctum ſua authoritate, ſapientiaque abſterſit. Graue vtique damnum acceptum eſſe, & quo vix maius vllum accipi potuerit ab irato Deo: vt nullæ lacrymæ, nulli gemitus, eiulatuſue exhaurire animi dolorem queant. Cæterum immerito ipſos tantopere queri. Cæleſtis doni vſuram à Deo datam nulla præſtituta die. Proinde non eſſe cur quererentur repetitam, cum voluiſſet is, qui dediſſet. Quin potius grates agerent numini de conceſſo aliquot annis vſu tanti, ac tam frugiferi pignoris; & præſens incommodum præteritorum

commo-

commodorum memoria compenſarent. Porrò daturum ſe operam, vt ademptum diuini muneris fructum aliqua ratione reuocet, tantique boni deſiderium leniat. Quippe in ipſis ſanctiſſimi ſacelli veſtigijs conſimilem ædem B. Virgini excitaturum: quæ ſimul poſteris tantæ rei monumentum foret, ſimul ipſis tam grauis damni ſolatium. Confidere vtique ſe, etſi abſit natalis Domus B. Mariæ, eius opem non defuturam. Nec Prætoris dicta magnificentiora factis fuere. Paucis annis, ipſius ære, ſumptuque noua ædes Deiparæ dicata in ijſdem ſtetit veſtigijs. Templum inſuper ædi circundatum eſt opere, cultuque magnifico. Quod hodie exſtat haud clarius Frangipaniorum munificentiæ, quam tanti miraculi monumentum. Nec vero conditoris vocem B. Virgo irritam eſſe paſſa. crebra inibi deinceps edita miracula, & illam ſedem Deiparæ cordi eſſe; nec eius Illyricis deeſſe præſidium ſatis oſtendunt. Id templum hodie Franciſcanis, qui ab Obſeruantia nomen accepere, commiſſum eſt, celebritate, ac fama illis locis clarum. Cæterum ea res Dalmatis Nazarenæ domus deſiderium, non tam expleuit, quam accendit. Namque ab eius diſceſſu annus iam agitur trecenteſimus: Et tamen illi adhuc tanti erepti boni memoria, haud ſecus, ac recenti vulnere, ingemiſcunt. Argumento eſt, quod cateruatim quotannis tranſmiſſo Adriatico mari, Lauretum ventitant, non magis B. Mariæ incunabula venerantes, quam orbitatem lamentantes ſuam. Quorum ſolemnes illæ voces, REVERTERE AD NOS MARIA, REVERTERE, haud parum oſtendunt, eorum deſiderium æternum fore, cum trecentorum annorum ſpatio nulla ſit lenitum ex parte. Eædem porro voces teſtes haud dubiæ ſunt Nazarenæ domus ex Illyrico in Italiam aſportatæ.

Dalmatarũ deſiderium Sacroſ. Domus.

In Picenum aducta Recinetensem inſidet ſyluam.
Cap. VI.

Trep. Ter. Hier. Ang.

CAeleſte autem hoc donum mira opportunitate trãſmiſſum Italiæ eſt, anno M. CC. XCIIII. qua tempeſtate funeſtis Velforum, Gibellinorumque factionibus diuiſa, odijs, belliſque pluſquam ciuilibus tota flagrabat. Igitur ipſo interregno, quo Bonifacius VIII. Pont. Max. creatus eſt, Quarto Id. Decembris, inſigni ac ſempiternæ memoriæ commendando die, Virgo Deipara pacem, ſalutemque Italiæ ferens in Piceno ſuæ domui ſedem optauit. Picenum regio Italiæ eſt haud ignobilis, & ſatis opulenta, e regione Dalmatiæ ſita, interiecto Adriatico mari, quod etiam ſuperum appellatur. Ergo ſacroſancta domus è Dalmatia trans Adriaticum ſinum (qua traiectus patet millia paſſuum ferme C.) in Picenum delata, conſedit in Recinetenſis agri ſylua, mille circiter paſſus à mari. Ea ſylua matronę cuiuſdam Recinetenſis erat diuitis iuxta, piæque Lauretæ nomen fuit. Cuius deinde nomine Lauretana ædes appellata immortalem viciſſim reddidit celebritatem ei, vnde nomen acceperat. Tenet fama (nec vana eſt fides) venienti Deiparæ domicilio arbores obuias, velut venerabundas inclinaſſe ſe: ac deinde pronas perſtitiſſe, quoad æuo, ventis, ferro procumberent: Proinde dum ſtaret nemus (quod hodie exciſum eſt) inclinatas ad ædis aduentum, longo ordine arbores monſtrari ſolitas peregrinis, tanti miraculi teſtes. Recens eſt adhuc memoria. Narrauit mihi haud dubia fide vir, abſe complures illarum arborum non fere amplius viginti ab hinc annis, nec ſemel, nec ſine admiratione conſpectas: toto videlicet trunco pronas eas fuiſſe, ac proclinatas verſus mare, qua ſacroſancta Domus in deſtinatam ſyluæ ſedem ſublimis inuecta tranſierat: Eaſ-

Arbores ad S. ædis aduentum inclinantur.

dem porro arbores, exciſo etiam ſaltu ſuperſtites diu fuiſſe, religione tutante. Demum annis ab hinc circiter xx. ruſticorum accolarum inſcitia cæſas, ne impedimento arationi forent. Intempeſta nox erat, cum Virginis domus vacuum ſyluæ ſpatium inſedit. Cuſtodiebant tum armenta Recinetenſium in proximo ſaltu paſtores, diuiſis inter ſe de more vigilijs; cum ſubito lux ſacræ circumfuſa domui excubantium oculos eò repente conuertit. Mirum eis videri, nouum in ſolitudine illa tectum, & quidem luce conſpicuum ſubito extitiſſe. Et fuit inter eos, qui eam cõſpexiſſe ſe diceret, cum ſublimis ſupra mare ferretur. Igitur ſocijs ad ſpectaculum excitatis, primò multa inter ſe (vt eſt admirantium mos) ſciſcitari: inde mutuis ſe vocibus ad rem explorandam accendere: omneſque pariter id quod erat, coniectare cœperunt, ibi aliquid eſſe diuini. Accedunt, tectum ſubeunt. Limen ingreſſi cohorreſcere primum animos, mox inuſitata quadam dulcedine perfundi ſentiunt. Itaque venerabundi precibus reliquã exegere noctem, quæcumque ſub tecto erant, intentius contemplantes. Prima inde luce, ex ijs nonnulli Recinetum (aberat ab eo loco millia paſſuum ferme quatuor) iter intendunt; quæ viderint dominis nunciant. Tota res primo ob authorum ſimplicitatem, cum ipſis authoribus ſpreta; vana ſcilicet ab eis afferri, & fortaſſe obiectam in ſomnis imaginem. Paſtoribus deinde omni aſſeueratione affirmantibus, enimuero oculos facturos fidem, ſi vellent; domini magis velle credere, quàm audere. Ad vltimum, ne aut creditum temere tam inſolitum miraculũ ruſticorum hominum teſtimonio, aut pro vano prætermiſſum, quod verum eſſet, ipſorum incuria videretur; illis comites addunt ſe, quid tandem rei foret exploraturi. Vbi ventum eſt in demonſtratum nemoris locum, & paſtorum fides extitit; vix ſatis oculis, vix ſibi quiſque credebat. Certe illam ædem ibi nunquam antea viſam; nec recens conditam, quod eius vetuſtas ſatis oſtendat: diui-

nitus

nitus vtique aliunde aduectam, aut cælo delapſam. Talia admirabundi inter ſe muſſitantes propius accedunt: tectum cernunt non tam ſpecie, quã antiquitate inſigne: mirantur adeo vetuſtum ædificium ſtare nullis innixum fundamentis, nullis ſuffultum adminiculis. Mox ſuſpenſis animis limen intrant. B. Virginem Ieſum puerum manibus complexam ſupplices venerantur. Nec pietatis defuit fructus. tantus repente eos lætitiæ miſtus horror inceſſit, nuſquam vt in omni vita præſentius Dei numen ſenſiſſe ſe dicerent. Confeſtim igitur in vrbem citato recurrunt gradu, diuinum munus inter ſe ſibi, & patriæ gratulantes. Præcipuum Lauretæ matronæ gaudium fuit, cuius ſaltum diuina illa ædes inſederat. Vt primum vrbẽ tanti miraculi fama peruaſit; velut ſigno dato, mirus hominum cuiuſque ordinis, ac generis inſolito ſpectaculo oculos implere cupientium concurſus fieri in ſyluam. Non pueri, non puellæ, non ſenes, non debiles domi continere ſe poſſe. Aegri quoque relictis grabatis, adrepere, viſendi cupiditate, vt fit, vires ſubminiſtrante. Plerique impetu quodam ardoris ruentes certatim ante alios prouolabant, vt tale ſpectaculum oculis capeſſerent primi. Quo propius perueniendi ſpes admouebatur, hoc magis concurrentium multitudo, viſendique cupido creſcebat. Vbi vero ſacroſancta ſedes, cuius conſpectum rami arborum interſepſerant, in apertiorem ſaltum ingreſsis ſubito apparuit; confeſtim omnes in vnum conuolare cœperunt. tantique vndique ex ſyluæ ſemitis repente concurſus facti, adire, contingere, oſculari ſanctos parietes cupientium, vt ſe mutuo prementes pene alij ſuper alios corruerent. In auguſtæ ſedis ingreſſu, dum venerabundi ſalutant Virginem, ingenti religione perfuſi lacrymarum vim profundunt; conſilia ineunt melioris vitæ: ab eo loco diuelli nequeunt. Inter hæc ingentes vndique ægrorum præcipuè, ac debilium clamores exaudiri, confuſis vocibus patronam, matrem, cæli reginam, Dei parentem appellan-

Recinetenſium cõcurſus.

pellantium: valetudinemque ac ſanitatem crebris expoſcentium precibus. Nec voces vanæ, nec preces irritæ cadebant. Protinus depulſis morbis, reſtitutiſque viribus multorum, diuina vis extitit. Tum vero ingeminari clamor cœptus agentium Deo ac Virgini grates, & cæleſtem vim, opemque prædicantium in ſe ipſis expertam. Ergo, vt Recinetenſibus diuinæ lux liberalitatis affulſit; certatim ſanctiſſimæ Virginis cella coli ab eis, celebrarique cœpta eſt. Sed priuata inter publicos honores, Lauretæ ſtudia eminebant: ex quo Aedi Lauretanæ deinde nomē factum. Fama interim (qua nihil talibus in rebus eſt celerius) ad finitimos populos diſcurrit, Lauretanam ædem miraculis inclytam ferens. Extemplo igitur, prout ſua quemque religio, aut neceſſitas ſtimulabat, ad nemus accurrere, adducere, aut deferre ægros neceſſitudine aliqua iunctos, opem poſcere, vota facere cœperunt. Voti eos compotes fuiſſe, & ipſorum Deo, ac Deiparæ grates agentium voces, & votiuæ deinde tabellæ de parietibus vulgo ſuſpenſæ docebant. Facilis quippe, ac potens patrona Dei mater apud Deum erat: quæ, & viam impetraturis oſtenderet, & vltro opem, ſalutemque ſupplicibus impetraret. Porrò confluentium populorum religionem commendabat loci ſolitudo. Nulla tum erat in ſylua domus, nullum hoſpitium, nullum ſaltem receptaculum, præter arbores, quæ nudatæ per hyemem frondibus, tectum peregrinis parum hoſpitale præbebant. Videres homines, etiam opulentos domi ſuæ, ac delicatos pernoctare ſub dio, quamuis infeſta imbribus, frigoribus, niuibus, tempeſtate: populos per contubernia diuiſos circa ſanctiſſimam ædem ſuper herbam inter arbores veſci: humique cubantes, quà ſomnum, aut quietem capere, quà pſalmos, hymnoſque modulari ſine vllo prorſus, aut ferarum, aut latronum metu. adeo incenſa pietas omnia incommoda periculaque vincebat.

Laureta ſylvæ domina Lauretanæ ædi nomen dedit.

E ſylua transfertur in Collem duorum fratrum. Cap. VII.

Prap. Tere. Hier. Ang.

AT ſempiternus humani generis hoſtis tanto cæleſtis Reginæ cultu, tantoque Chriſtianorum bono, haud quaquam lætus effuſam Picentium lætitiam, religionemque omni ope diſturbare decreuit. Igitur ne conualeſceret pietas populorum, prius quàm tantum loco religionis eſſet, quantum futurum apparebat, occupat aduenis, ac peregrinis inferre bellum. Erat B. Mariæ ſacellum in loco deuio, ac mari proximo, & frequenti ſylua, proceriſque arboribus ſepto. Adibatur ſemitis denſa inter virgulta, arboreſque. Et plerique inermes ibant, ſatis ſibi præſidij in Virgine loci præſide reponentes. Ergo facinoroſi quidam proiectæque audaciæ homines, non magis prædandi opportunitate illecti, quàm ab infernis, vt creditum eſt, furijs inſtincti, ſemitàs quæ ad Aedem ferebant, obſidere, & circa denſis obſita virgultis loca, in obſcuris ſubſidere inſidijs cœperunt. Inde ſubito exorti venientes peregrinos excipere, adoriri incautos; pecunia, veſtibuſque, &, ſi armis obſiſterent, vita quoque ſpoliare. Itaque breui totus ille ſaltus latrocinijs, cædibuſque infeſtus, atque infamis, abſterritis aduenis, ad ſolitudinem eſt redactus. Iamque obſoleſcente in dies cultu, ſacroſancta Aedes euaneſcebat; cùm Deus indignum ratus paratum ab ſe mortalibus perfugium ſalutis, inferni hoſtis ſcelere in perniciem verſum; tutiorem opportunioremque aduenis ſedem ſuo matriſque ſuæ domicilio delegit. Collis erat leniter accliuis mille fere paſſus ab eo loco, propius Recinetum, non longe à via militari. Huc igitur ſacra domus octauo circiter menſe, quam lucum inſederat, ſublimis auſertur ab Angelis, & in collis ſiſtitur vertice. Poſſidebant eum collem communiter fratres germani duo Recinetenſes

netenſes concordibus animis, qui cæleſti dono mirè læti ſanctiſſimam ædem coniunctis ſtudijs colere cœperunt. Auxit loci mutatio, nouique miraculi fama, vt admirationem, ſic religionem accolarum æque aduenarumque. Quippe, vt Lauretanam Aedem locum mutaſſe, & relicto obnoxio graſſatoribus ſaltu, tutum à latronibus, opportunum peregrinis occupaſſe collem diſtulit rumor; extemplo finitimis populis eius reuiſendæ cupidinem accendit. Proinde ſiue intermiſſam latrociniorum metu tanti boni vſuram ſarcire, ſiue nouam migrationem, quam auribus acceperant, oculis ſubijcere cupientes, eo ſummis vndique ſtudijs conuolant. Horum plerique eandem ædem nuper in ſylua coluerant, quam nunc in collis vertice extra ſyluam colunt. Quo maior omnes admiratio, & ſtupor defixos tenebat. Ergo ſacellum, & veteribus prodigiis, & mutatæ denuo ſedis miraculo venerabile, certatim accolæ votis, vocibuſque celebrabant. Grates inde, & Deo, & Dei parenti pro ſe quiſque agebant, quod religioſiſſimã ſedem latrocinijs violatam non abſtuliſſent alio, ſed in tuto colle ſtatuiſſent, opportuno aduenis loco. Porrò creſcente in dies peregrinorum multitudine, cœpit augeri quotidie celebritas Aedis: parietes votiuis tabellis, cereis imaginibus, precioſis veſtibus contegi: ara congeſtis vndique donis, pecuniaque compleri. Sed aucta ſacelli opulentia imminuit religionem eorum, quorum ſtudia maxime augere debuerat. Itaque auaritia breuiorem etiam, quàm in ſylua fecerat, auguſtiſſimi ſacelli ſtationem in colle fecit.

Ex fratrum colle ob eorum auaritiam, diſcordiamque demigrat. Cap. VIII.

ERat is collis (vt ſupra demonſtrauimus) communis duorum fratrum, qui primo ſanctiſſimum domiciliũ *Præp. Tere. Hier. Ang.*

haud ſecus quàm par erat, ſanctè, ac piè colebant. Felices ſi diuino munere ad cultum vti, quam abuti ad quæſtū maluiſſent. Cæterum opulentioribus in dies donis religioſiſsimam ædem cumulari cum viderent; cupido anguſtos animos vicit: & religionem, pietatemque penitus extinxit. Namque hæreditatem ſibi vterque veniſſe rati, ſacro auro, argentoque inhiare primo: inde ſtimulante auaritia, odio pluſquam fraterno inter ſe diſſidere cœperunt. Ad vltimum, dum vterque ad ſe emolumentum trahit, cū altercatione congreſsi, ab irarum certamine ad arma venere. Iamque haud procul erat, quin germani fratres ſe, auguſtiſsimamque Deiparæ cellam (adeo nihil ſanctum auaritiæ eſt) fraterno cruore reſpergerent; cum Deus tantum facinus, ſublata facinoris cauſa, præuertit. Ergo non minus fraternæ diſcordiæ, quam ſylueſtri latrocinio infenſus, maternam domum ad iactum ferme ſagittæ ab eo loco in proximum collem, verſus mare ſubmouit: atque in ipſa via militari, quæ ducit ad portum Recinetenſem, locauit, à mari millia paſſuum circiter duo. Ita, & diſcordiarum, & latrociniorum materies adempta; ac ſtabilis aliquando, ac certa ſedes capta. Stetit ſacra Domus in colle fratrum paucos ſcilicet menſes. conſtat quippe nondum vertente anno, poſt eius in Italiam aduentum, in eo colle, vbi nunc viſitur, conſediſſe. Ita in agro Recinetenſi ter intra anni vnius ſpatium, ſiue accolarum vitio, ſeu potius diuino conſilio, ſedem mutauit. Intra quinquennium vero poſt eius è Galilæa diſceſſum, quatuor loca ſuis veſtigijs nobilitauit. Nec tamen mutatis locis religionem mutauit, ſed magis, magiſque auxit.

Veſtigia locorum, quæ ſancta Domus occupauit. *Cap. VIIII.*

Hier. Ang. ET extant his omnibus locis hodie haud dubia rei argumenta. Nicolaus quippe Frangipanius (vt ſu-

 pra

pra oſtendimus) nouam ædem Nazarenæ parem, ac geminam in ijſdem veſtigijs, vbi illa ſteterat, ab ſe exſtructam magnifico circumdedit templo. Id templum S. Mariæ à Terſacto vocatur, vel veteri ſanctiſsimi ſacelli memoria, vel nouis miraculis nobile. Et in eo templo ad ianuam aſsimulatæ Nazarenæ Domus egregium Nicolai Frangipanij monumentum hodie viſitur; qui templi conditor pro ſua erga natalem Virginis domum eximia religione, proximum illius veſtigijs ſepulcrum elegit ſibi, poſteriſque. Quin etiam marmorea inibi tabula exſtat perantiqua tanti miraculi ad poſteros teſtis. In qua inciſum: HIC EST LOCVS, IN QVO OLIM FVIT SANCTISSIMA DOMVS B. VIRGINIS DE LAVRETO, QVAE NVNC IN RECINETI PARTIBVS COLITVR. Harum ego rerum authores habeo haud dubiæ fidei viros complures, qui mihi ſe vidiſſe narrarunt. Eo autem loco, vbi primum in Picenum delata conſedit, quamdiu ſylua ſtetit (ſtetit autem vſque ad annum ſæculi huius ferme LXXV.) haud obſcura extiterunt ædis ablatæ, miraculique indicia. Quippe area, quam ſacra occupauerat Domus, nitebat ſemper vernantibus herbis floribuſque, cum omnia circa denſis obſita virgultis, ac ſentibus horrerent. Nec dubia res. author eſt Hieronymus Angelita in Virginis Lauretanæ hiſtoria, quam Clementi VII. Pont. Max. dicauit eo ipſo tempore, cum hoc viſentibus miraculo erat. Viſebantur pariter cum area ſanctorum parietum ſolo impreſſa veſtigia, ſanctitatem & quaſi diuinum quiddam ſpirantia. Id adeo ipſemet accepi à Raphaele Riera ſpectatiſsimæ fidei, ac religionis viro, qui Aedis veſtigia, atque areæ nitorem ſæpius magna cum voluptate ſe ſpectaſſe memorabat. Cæterum exciſo nuper nemore, ac ſolo arationi deſtinato, eximia illa amænitas ab imperito rerum agricola, & foſsione, & ſatu olerum violata defecit. Itaque ad retinendam loci religionem, ab eo-

dem illo Riera in ipſis veſtigijs quoquo verſus parietes paulum à terra ſunt excitati, ſiue monumentum ad poſteros, ibi olim Lauretanam ſtetiſſe Domum; ſiue aduerſus pecudum, & ruſticorum iniurias munimentum. Vidi ego ipſe,& inſpexi locum cum hæc ipſa litteris proderem. animaduerti parietibus illis aream includi, & longitudine, & latitudine Aedi Lauretanæ vſquequaque parem. Areæ porro ſolum cætero circa ſolo ſimile, amiſſa inſigni illa amænitate, quam habuerat prius, quàm ſanctitatem loci ruſtica temeritas violaret. Verum enimuero ita amiſit amænitatem, vt retineat religionem. Hodie religionis ergo à multis viſitur, à pluribus etiam viſeretur, niſi vulgo ignotus eſſet locus. Olim quidem, cum eſſet ſiue ob inſignem illam amænitatem, ſiue ob commoditatem viarum notior, adeo coli à peregrinis ſolebat; vt nemo fere Lauretanæ Virginis cellam ſe adiſſe crederet, qui non illa quoque prima eiuſdem cellæ veſtigia coluiſſet. Deuius omnino eſt locus, atque auius: neque enim certis ſemitis aditur, & perito itineris duce opus eſt. Diſtat ab oppido Laureto mille ferme paſſus, tantundem etiam à mari, nõ tam recta regione, quam per anfractus ſemitarum. Situs eſt inter Montem Vrſum, & Muſionem fluuium, pari fere interuallo, atque inter Lauretum, & mare. Vulgo Banderola dicitur, fortaſſis ex vexillo, quod olim ex arbore quapiam eminebat pariter omnibus conſpicuum, vt ſacroſancti ſacelli in nemore latentis ſedem peregrinis venientibus; & nautis præter eam oram nauigantibus ſignificaret. Certe paruum vexillum Itali Banderolam appellant. Propter ſacram aream, quam dixi, puteus eſt ingens, qui perennes, & haurienti faciles ſubminiſtrat aquas. Inſolitam illam putei amplitudinem ad ingentis alicuius multitudinis, ideſt ad populorum illuc confluentium vſum conditam ſentias. In colle porro duorum fratrum obſcuriora argumenta cernuntur. Namque is collis ad ædificiorum commoditatem, oppletis conuallibus,

æquatus, coædificatuſque eſt, cum Lauretum oppidum conderetur. Locus tamen, aut loci potius veſtigium mõſtratur. Extra priuatarum ædium parietem extat rudis quædam, metæ inſtar, turbinata particula exciſi collis, tecto modico inſignis; Id vnum ſupereſt captæ inibi, deſertæque à B. Maria ſedis indicium. Domus cui veſtigium hoc adhæſit, non procul Pontificiarum ædium ianua, ad dexteram ingredienti ſita, Laureti oppidi velut vmbilicus eſt. Ac procedens inchoata Pontificiorum tectorum pars totam ferme illam regionem occupabit. Sed tum quoque (vt reor) aliquod relinquetur monumentum rei, locique: ne tam memorandæ rei veſtigium intereat.

Præcipuus locus, ſituſque admirabilis Aedis Lauretanæ. Cap. X.

CAeterum in illis locis ſedem ſibi Deipara Virgo delegerat ad diuerſandum, magis, quàm ad habitandum, minimè ſcilicet diuturnam. Quippe cum eo demũ loco vbi nunc eſt, ab initio ſedem animo deſtinaſſet ſtabilem, & (niſi incolarum, accolarumue aliquod delictum obſtet) vt ſperamus æternam. Neque enim ambigi fas eſt, quin Dei mater, & Dalmatarum in Illyrico indiligentiã, & immanitatem latronum in ſylua, & in communi duorum fratrum colle fraterna odia, vt prouidere à principio, ſic vitare potuerit. Nimirum illa iſtarum rerum ſatis gnara, ex quo primum tempore Nazaretho Domus exceſsit, relicto natali ſolo, hunc ſibi locum elegit, vbi ſtabilem, ac perpetuam figeret ſedem. Verum enimuero opus fuit ad fidem tam inſolito, inauditoque antea miraculo affirmandam, eiuſdem miraculi frequentatio: vt rem per ſe incredibilem crebra intra paucos annos loci mutatio credibilem faceret. Quì enim ambigerent deinde mortales, an domus illa e Galilæa eſſet aduecta, cum eãdem illi ipſi audiſſent

Cauſa multiplicis migrationis.

audiſſent ſuo æuo, ex Illyrico in Picenum migraſſe, qui vidiſſent in ipſo Piceno intra ſpatium vix mille paſſuum, anno nondum circumacto, ter mutaſſe ſedem, locumque? Incidit quippe tertia hæc, & poſtrema migratio in annum à Chriſto nato M. CC. XCV. qui aduentum ſacræ Domus in Italiam eſt conſecutus. Operæ autem pretium eſt de admirabili eius ſitu cognoſcere: Situs enim ipſe ſacroſanctam illam ſedem non humana, ſed diuina prorſus arte, manuque locatam facile declarat. Sita igitur eſt, ſi qua vſquam, ad quatuor cæli mundique regiones, ex Mathematicorum diſciplina. Neque id ſolum, ſed ex veteri etiam Sanctorum Patrum inſtituto, qui aras ſacrarum ædium ad ſolis ſpectare ortum iubebant. Namque anterior paries, vbi feneſtra viſitur Angeli ingreſſu (vt ferūt) nobilis, ad occidentem ſolem vergit: poſterior, vbi ara eſt ante B. Mariæ ſimulacrum poſita, vernum ferme orientem ſpectat, adeo quidem directo, vt per vtrumque æquinoctium, decem circiter dierum ſpatio, ſol oriens poſteriorem, occidens anteriorem aſpiciat partem. Itaque ſub occaſum ſol per eam, quam dixi feneſtram ingreſſus ad B. Virginem velut veſpertinus ſalutator accedit, quando matutinus eſſe nequit obiectu parietis excluſus. Id adeo etiam poſt ſacram Domum templo incluſam obſeruatum ferunt; priuſquam obuerſa templo facies Pontificiæ Domus obijceretur ab occaſu. Cæterum non dubito quin eius ianua (perfecto deinde opere) patefacta, illud idem ſolis Deiparam à templi aditu, per ſacelli feneſtram quodam modo ſalutantis, ſit præbitura ſpectaculum. Siniſter porro ſanctiſſimi ſacelli paries ad ſeptentriones vergit, dexter ad meridiem. Ac proinde Pontificalium tectorum porticus ſane magnifica, ad meridiem verſa (B. enim Virgo ſuæ cellæ ſitu ſitum Pontificiarum ædium velut præſcripſit Architecto) quotidie cum aduerſum recta excipit ſolem, meridiem haud dubium indicat. Hunc autem tam admirabilem ſanctiſſimi ſacelli ſitum non caſu occupatum,

Prap. Terc. Hier. Ang.

Sol per æquinoctium Lauretanā Virg. quodā modo ſalutat.

patum, ſed diuino quæſitum conſilio, vel illud argumento eſt, quod in ipſa quoque ſylua, eundem plane ſitum à B. Virgine optatum (vt egomet intentius obſeruaui) veſtigia, quæ exſtare diximus, ſatis oſtendunt. Idem fortaſſe in colle fratrum accidit: nam ex obſcuris veſtigijs iudicari non poteſt. Fortaſſis idem quoque in Dalmatica ſede vſu venit: nihil enim comperti habemus. Sane res ipſa conſentanea eſt. Sacroſanctam quippe Domum duo præcipua myſteria, ortus B. Virginis, & æterni Verbi cōceptus inſignem fecere; quorum ille fere in autumnale, hic in vernum incidit æquinoctium. Igitur haud immerito eam ſol per vtrumque æquinoctium luſtrat, ſic prorſus, vt velut illorum myſteriorum memor, & ſub ortum, & ante occaſum Deiparam Virginem pene ambitioſè adire, & quodammodo ſalutare videatur.

Dalmatarum indicio Picentes natalem B. Virg. Domum penes ſe eſſe cognoſcunt. Cap. XI.

SEd vt ad rerum ordinem, vnde egregij ſitus admiratio auertit curſum hiſtoriæ, redeamus; mira primo Recinetenſibus noua Aedis migratio videri; deinde etiā grata, iucundaque eſſe. Namque multiplicato trina migratione miraculo, vt creuit fama, & admiratio loci; ſic Deus parentis ſuæ venerationem apud accolas pariter, & exteros auxit. Vtique cum ſub id tempus nunciata Nazarena, Dalmaticaque eiuſdem Domus migratio Picentium animis ingentem incuſſiſſet metum, ne ſacra Aedes ipſos quoque, præſertim duobus iam locis violata, aliquando deſereret. Iamdudum per mercatores, Aedis Lauretanæ rerumque admirabilium fama in Illyricum perlata, Dalmatas nonnihil ſuſpicantes ad inclytam miraculis ædem viſendam, Picentiumque pietatem æmulandam accenderat. Dalmatarum ergo nonnulli Lauretanum contem- *Prep. Tere. Hier. Ang.*

plati

plati ſacellum (vt erat recens Illyricæ migrationis memoria) haud ægrè ſcilicet agnouerunt. Itaque obortis lacrymis, venerationis munere perfunguntur. mox velut refricato vulnere, ac deſiderio ex amiſſi boni conſpectu ingemiſcentes, ſuum detrimentum effusè deplorare cœperunt. Aedem illam, quæ tum in Piceno tanto mortalium concurſu celebraretur, paribus ferme populorum ſtudijs nuper in Dalmatia celebratam. Natale illud Virginis tectum Illyricis primum è Galilæa diuinitus miſſum, quo tum Picentes tranſmiſſo è Dalmatia fruerentur. Id & cæleſti indicio enunciatum Dalmatis, & deſtinatis in Galilæam certis hominibus exploratum. Agnoſcerent proinde, & impenſius colerent Picentes cæleſte donum; ne quod alijs eueniſſe audiant, ipſis eueniat: & cuiuſmodi tandem illud munus ſit, carendo magis ſentiant, quam fruendo. Se quidem nequaquam deſperare (ſi optatis vota reſpondeant) illam ipſam Virginis Domum in Illyricum, vnde paucis ante annis abierit, redituram. Hæ & aliæ tales Illyricorum voces, quòd nouæ ad Picentium aures acciderent, (nondum enim quicquam de Nazarena, & Dalmatica migratione fando audierant) à pleriſque pro vanis habitæ, irritæque. Cæterum breui noua res diuinitus oblata eas eſſe veras oſtendit.

Heremita B. Mariæ monitu Picentes ad rem explorandam impellit. Cap. XII.

Prep. Tere. Hier. Ang.

COllis eſt nemori, ac ſedi, quam in Piceno primam Virgo Deipara elegerat, ſatis propinquus. Montē Vrſum incolæ appellant. Huc receperat ſe paucis ante annis homo ſolitarius egregia ſanctitate, ſacroſanctæ cellæ propinquitatem ſecutus. nomen non proditur. Illū ipſum fuiſſe Paulum à Sylua, cuius deinceps mentionem facturi ſumus, vt credam, inclinat animus. Is igitur, vt

erat B. Mariæ vnice deditus: ad Lauretanam eius ſedem ventitabat quotidie: pluresque inibi precibus extrahebat horas. Intererat auidè miraculis, quæ Virginis ope patrabantur, aut patrata narrabantur ab aduenis. Multa etiam ſubinde audiebat, quæ à Dalmatis ferrentur haud dubijs vulgata ſermonibus: non nunquam ipſos audiebat Dalmatas ſuam vicem lamentantes, deflenteſque nationis ſuæ orbitatem, erepta natali B. Virginis domo, præſentique tantæ patronæ præſidio amiſſo. Pius heremita cæteris B. Mariæ laudibus lætus, vbi natalem illam Virginis domum eſſe accepit, obſtupuit. Enimuero illi res pene incredibilis, ſed tamen digna viſa, quæ ſumma exploraretur ope: vtpote cum tanta res explorata, atque comperta Aedi Lauretanæ, cui ipſe mire fauebat, ingens nomen, ac decus eſſet additura. Ergo hominem veri ſciendi, religioniſque erga B. Virginem augendæ auidum cupido ingens cepit, verum, vanum ne id eſſet diuinitus cognoſcendi. Nec mora: inedia, cilicio, verberibus corpus affliĉtare, mentem in preces effundere, nihil eorum omittere, quibus ſperaret Deum placari, conciliarique poſſe. Præcipuè orare, atque obteſtari Deiparam Virginem, vt quid tandem ſacelli illud eſſet, aut vnde eſſet, certo aliquo indicio declararet. Nec incenſæ eius pietati, votoque Virgo defuit. Alter agebatur annus à ſacra Aede in Italiam aduecta, cum per ſomnium ei B. Mariç ſpecies offertur, quæ bono illum animo eſſe iuſſum docet, ſe domicilio, quod in terris olim habuerit, in Italia ſedem elegiſſe. Id quippe quòd negligentius coleretur, è Galilæa in Dalmatiam, inde in Picenum, Dei nutu, cæleſtium miniſterio deportatum: ibi ſemet genitam, ibi diuinam concepiſſe prolem. Idcirco illam ædem Deo ſemper, ac ſibi cordi fuiſſe, ac fore. Addit cætera, quæ Alexandro Terſactenſi Antiſtiti (vt antea dictum eſt) expoſuerat in quiete. Ad extremum adiungit id donum ſuperum conceſſu, ac munere ſingulari, Picentibus atque Italis datum, vti-

S. Domus B. Mariæ indicio agnoſcitur.

que in tantis calamitatum procellis, malorum ſolatium, veniæ pignus, paciſque: in cæteris deinceps mortalium periculis, & ærumnis perfugium omnium gentium, præſidiumque certiſſimum. Proinde abiret, & hæc Recinetenſibus finitimiſque populis nunciaret. Ille ſomno excitus, & cæleſti indicio mire lætus extemplo B. Mariæ mandata exſequitur. Ac primo Recinetum profectus primoribus ciuitatis viſum enarrat, cætera exponit: Mariam ipſam ſui ſermonis authorem nominat. Recinetenſibus ſtupore defixis, alios deinceps populos ſtrenuè percurrit, eadem ingenti animi ardore denuncians. Id Picentibus vanum primo ſomniũ viſum: & author à multis pro ſomniatore habitus. Deinde vero, quoniam de dato ademptoque diuinitus Dalmatiæ ſacello, Dalmatarumque Aedem Lauretanam agnoſcentium teſtimonio, obſcura quędam per eos dies fama emanarat; collegere ſeſe, ac tantam rem minimè negligendam exiſtimarunt. Et recens eos admiratio ſtimulabat, quod eandem ædem ter vno anno ſedem in agro Piceno mutaſſe meminerant. Ergo internuncij vltro, citroque miſſi: ac demum Recinetenſibus authoribus, communi Picentium conſilio decretum, vt ære contributo, certi homines in Illyricum, inde in Galilæam mitterentur rem oculis, certiſque indicijs exploraturi.

Sexdecim viri in Dalmatiam, & Galilæam miſſi adfirmant miraculi fidem.
Cap. XIII.

Prep. Tere. Hier. Ang. IGitur ſexdecim viri fide, religione, authoritate præſtantes ex omni Piceno lecti. His datum negocium, vt Dalmatiam primum, inde Galilæam explorantes, rem omnem intentius inueſtigarent: & de natali B. Mariæ domo, quæ illis locis fuiſſe diceretur, comperta omnia do-

mum

nium referrent. Conſeſtim illi tranſmiſſo Adriatico ſinu, Terſactum delati accolis aduentus cauſam aperiunt ſui. Ardebant dolore ex recenti adhuc vulnere Dalmatæ omnes. Talis ergo boni amiſſi recordatione ingemiſcentes ſummum eius deſiderium vocibus, ac lacrymis teſtabantur. Legatis amice rogitantibus aream monſtrant, quam B. Virginis Domus inſederat: atque inibi geminam illi, ac ſimilem ædem, rei monumentum, exſtructam. Et ſimul integrato fletu, queruntur, ea ſola Illyricis cæleſtis doni reliqua eſſe veſtigia. Alijs tam diuini muneris conceſſam gloriam, ſibi tantum famam relictam. Itaque Picentium legati Aedis Lauretanæ menſura, quam ſecum ad hunc vſum attulerant, quaqua verſus ducta, quod vacui erat ſpatij, id Lauretanæ Aedi prorſus congruere deprehendunt. Scitati inde tempus amiſsi ſacroſancti ſacelli comperiunt, id eodem planè tempore Illyricis ereptum, & Picentibus datum. Re ſatis explorata, cum vtrique commemoraſſent præcipua vtrobique patrata miracula, manantibus certatim lacrymis diuelluntur, alteri deſiderio mœſti, alteri lætitia geſtientes. Legati igitur è veſtigio vela faciunt, & Corcyram, Cretam, Cyprum celeriter præteructi in Palæſtinam ſecunda tempeſtate perueniũt. Cæterum cum iter tutum non eſſet, vagantibus paſsim per totam Syriam Turcicis armis; pecunia præſidium emunt, quo in Galilæam perducantur, ac deinde reducantur ad nauim. Ergo auguſtiſsimum Chriſti ſepulcrum Hieroſolymæ venerati in Galilæam ire pergunt. Nazarethum vt venere, natalem B. Mariæ inquirunt domum. De Chriſtianis, qui qualeſcunque ſupererant in medio nationis prauæ, ſedulo ſciſcitantur. Ab his edocti, quæ vigente adhuc Chriſtiana re in Syria, partim ipſi à maioribus acceperant, partim ſuis ipſimet oculis viderant, ad optatum ducuntur locum. Reperiunt aream cum fundamentis auulſæ domus in ſolo relictis, quæ intentiore cura dimenſi, omnia omnino cum Illyricis veſtigijs, Aediſque

Lauretanæ forma, ac parietibus conuenire comperiunt. Re vtrobique geſta ex ſententia, admodum læti conſcendunt nauim: ac remenſo mari, Anconam vnde ſoluerāt, reuehuntur incolumes. Protinus domos repetunt, Magiſtratibuſque, ac primoribus ciuitatum, vnde miſsi erant, comperta referentes, ſuam illis lætitiam impertiunt. Et Recinetenſes ſucceſſu læti legationis, cuius authores fuerant, monumentum exſtare voluerunt. Rem omnem in publicas tabulas referre placuit, additis ſexdecim legatorum nominibus, teſtimonijſque, quò res teſtatior ad poſteros foret. Earum litterarum exempla in priuatorum ædibus aſſeruata ad noſtram vſque ætatem peruenerunt. Hæc autem per legatos cognita ſunt anno à Virg. Partu M. CC. XCVI.

Hier. Ang.

Prap. Tere.

B. Virgo Lauretana Patrona à Picentibus adoptatur. Cap. XIV.

EXtemplo fama, vt ſolet, ſtrenuè finitimas vrbes pagoſque diſcurrit, ſexdecim legatos ex Illyrico, & Galilæa reuectos renunciaſſe, manifeſtis compertum indicijs, Lauretanam Aedem eſſe eam ipſam domum, vbi Dei parens genita ſit, & ab Angelo ſalutata. nimirum eandem primum ex Galilæa in Illyricum, deinde ex Illyrico in Picenum diuinitus tranſportatam. Et per idem fermè tempus tertiam in agro Recinetenſi migrationem eadem fama vulgauerat. Ergo pleroſque mortales, velut nouo ex noua fama animorum ardore concepto, ingens cupido cepit cæleſtis doni ad ſe inde vſque ab oriente tranſmiſſi in noua ſede viſendi, colendique. Omnes quippe ita rem vulgo interpretabantur, Deiparam Picentibus ſuam oſtentaſſe tutelam. Proinde reliquum eſſe, vt ipſi in eius clientelam, fidemque committerent ſe. Confeſtim igitur ex omnibus prope oppidis incolæ plenis effuſi

Picentium concurſus.

portis,

portis, vijſque ad Lauretanam Aedem contendere cœperunt. Nec firmi tantum, ac valentes procurrere, ſed etiam ægri & imbecilli, neglecto medentium imperio, prorepere ipſi ſi poſſent, ſin minus, ab alijs, vt cumque ſe iubere deferri. Cæterum ex pleriſque Piceni vrbibus, oppidiſque paulo opulentioribus, populi linteati pluribus agminibus, tanquam cohortes ſub ſignis, incedebant inſignibus, coloribuſque diſtincti. Qui certatim Deo, Deique parenti carmina canentes, ſymphoniarum, tympanorum, tibiarum cuncta circum loca feſto complebant ſono. Hos deinceps miſti mulieribus, pueri, puellæque vno velut agmine ſequebantur. Ad ſacellum Virginis, vt ventum eſt (quoniam loci anguſtiæ tantam hominum multitudinem excludebant) in ipſo conſpectu ſanctiſsimæ Domus, ſubmiſsis genibus tanti muneris largitorem vniuerſi pariter adorant. Exinde ad agendas Deo Deiparæque grates verſi, in tanta malorum, partim inſtantium, partim vrgentium mole, pacem ac veniam precibus expoſcunt. Ipſamque Dei parentem enixius orant, vt quoniam Piceno cladibus afflicto voluntariam ſe Patronam obtulerit; Picentes in ſuam fidem, tutelamque recipiat: & volens, ac propitia ſuam ſemper ſoſpitet gentem. Nec inane tutelæ, clientelæue nomen fuit. Ex eo tempore, & B. Maria certiſsimam ſe Picentibus Patronam, & illi viciſsim ſe deuotos B. Mariæ clientes perpetuo præbuere, Lauretana eius Aede non ſolum ornanda, ſed etiam tuenda.

Sacra Domus cæleſtibus illuſtrata flammis in dies magis celebratur. Cap. XV.

NAm quotidianis in ſalute humanis corporibus reddenda miraculis, interdum accedebant prodigia cæleſtia haud dubiè ſignificantia B. Virginem Picentibus adeſſe. Viſa non ſemel eſt per noctem ſubita de cœlo effundi

Hier. Ang.

fundi flamma, quæ primo velut pluribus ſparſa locis coruſcabat, deinde vno quaſi facto agmine, ad Deiparę cellam tendens omnia circum cæleſti luce complebat. Viſum etiam ſæpe crebris luminibus collucere tectum ſumma cũ admiratione, lætitiaque intuentium. Angelorum manum ad cæleſtis reginæ domum excubantium videre te crederes. Ergo Recinetenſis Antiſtes, in cuius diœceſi is locus erat, ad religionem id pertinere ratus, pro officij ſui ratione Bonifacium VIII. Pont. Max. tota de re certiorem facit. Impetrata ab eo Lauretani ſacelli procuratione, optimum factu exiſtimauit, laxare ſpatium aduenis. Extemplo igitur ſolum quod circa Aedem erat, Recinetenſium dono conſecrat Virgini. Cum areæ ſpatio etiam loci celebritas aucta. Excipiendis quippe hoſpitio peregrinis (qui ante id tempus conferti ſub dio cubitabant in via) caſæ primum, ac tuguria; inde tecta exſtrui cœpta. Et quoniam dorſum inæquale vtriuſque collis (interiacente pręſertim conualle) haud ſane commodam præbebat ædificijs ſedem; duorum fratrum collis plus æquo eminens æquatus: conuallis expleta: dorſum dilatatum, vt excitandis circa viam tectis æqui ſpatij ſatis foret. Ita breui haud infrequens qua ſylueſtribus tectis, qua domibus extitit pagus in dorſo collis vtriuſque porrectus. Pago Lauretum nomen inditum: vt ab eadem illa Laureta, quæ B. Virgini vnicè dedita fuerat, appellaretur ædes, paguſque. Hoſpitiorum opportunitas loci religioni iuncta mire hoſpitum, aduenarumque frequentiam auxit. Cui quidem noua ſubinde res celebritatis adiecit vel plurimum. Per id tẽpus Bonifacius VIII. Pont. Max. (cuius Pontificatum ſacræ Domus in Italiam aduentus inſignem fecerat) ingentibus terræ motibus, cladibuſque partim illatis, partim impendentibus Italiæ commotus, ad auertendam cæleſtem iram curas omnes intendit. Salubri ergo conſilio ſecularem annum (Iubilæum vocamus) vel inſtituit, vel inſtaurauit, Apoſtolorum Petri & Pauli limina ritè adeuntibus

Lauretum pagus conditus.

S. Anton. p. 3
Plati. Bonif.
Io. Vill. li. 1.

tibus

tibus delictorum omnium indulgentiam largiens. Itaque ipſo anno poſt Chriſtum natum M. CCC. qui primus Iubilæi celebritate inſignis fuit, noui Pontificalis beneficij fama in omnes orbis Chriſtiani regiones perlata incredibilem omnium gentium, totiuſque occidentis exciuit ſedibus ſuis molem. Quippe tanti vndique cunctarum nationum concurſus ad Vrbem facti aduenarum, vt multitudinem Vrbs quamuis ampla vix caperet. Nullus pene dies abibat, quin Vrbs ducenta peregrinorum millia hoſpitio exciperet, præter innumerabilem multitudinem, quæ erat in via. Horum igitur plurimi præſertim, quibus Recinetum minimè deuium erat, miraculorum fama exciti ad Aedem Lauretanam vtique diuerterunt, teſtes ac nuntij ſuis quiſque popularibus futuri eorum, quæ de tam inuſitato, inauditoque miraculo, non tam aliorum ſermonibus accepiſſent, quam ſuis ipſimet oculis hauſiſſent.

Parietes ſanctæ Domui pro fulcimento adiecti recedunt: his tamen amplæ porticus applicantur. Cap. XVI.

INter hæc Recinetenſes tantis populorum concurſibus accenſi ſacroſanctum ſacellum impenſius colere, tutarique inſtiterunt. Videbant parietes, & tenues, & perantiquos tot iam ſæcula ſtare ſine vllo penitus fundamento. Ingens ergo eos inceſſit cura veritos, ne paulatim temporum iniuria, procumbentibus parietibus, auguſtiſſima orbis terræ ſedes Virginis peſſum iret, rueretque. Itaque optimum factu rati, ædem ſpecie ruinoſam (quoad humana arte atque induſtria valerent) vndique communire, iactis quantum res ferebat, fundamentis, lateritio eam pariete circundant. Fama eſt haud dubijs vulgata authoribus, nullo modo potuiſſe nouam ſubſtructionem cum ſacris parietibus cohærere. diceres ſacram Domum diuina vi ſub-

Hier. Ang. Bapt. Mant.

Tradit. Lau. Bapt. Mant.

vi ſubnixam aſpernari humanam opem. Quin etiam procedente tempore, noui illi parietes veteribus pro fulcimẽto adiecti paulatim receſſerunt adeo, vt inter vtroſque parietes, quoties opus foret, puer cum accenſa face diſcurreret, quo diſiunctorum parietum fidem explorantibus faceret. Nec vetus eſt eius rei memoria. Viuebant paucis abhinc annis viri probi, pijque complures, qui diſcurrentem inter parietes puerum ſæpius ſe vidiſſe narrarunt Raphaeli Rieræ homini ſpectatæ virtutis, ac fidei (cuius ſupra fecimus mentionem, & deinceps facturi ſumus) vnde ipſe cognoui. Huic eidem Rieræ Rainerius Nerucius Architectus egregius, ædificationi Lauretanæ præpoſitus pro familiaritate commemorauit, ſe Clementis VII. Pont. Max. iuſſu, demoliendis lateritijs illis parietibus præfuiſſe, cum marmoream cruſtam, quæ hodie cũ omnium admiratione viſitur, ſubſtituere moliretur: ac tũ admirabundum reperiſſe parietes illos contra omnem Architecturæ rationem, à ſacro cubiculo dimotos, neque tam vetuſtate, quàm arcano quodam conſilio ruinoſos: vt ſatis appareret, Dei parentem ad ſuſtentandam ſuam domum excludere hominum induſtriam voluiſſe, quò diuina vis inſignior foret, ſi tectum longe antiquiſſimum ſine fundamentis, vlloue humano auxilio per tot ſæcula ſtaret. Fama etiam tenet, antiquiſſimam Chriſti crucifixi imaginem ſimul cum domo aduectam, multiplici per eadem tempora miraculo inſignem extitiſſe. Nam cum eã efferri, & in ſacello ad id exornato, vt maiore honore coleretur, reponi Recinetenſibus, & Epiſcopo placuiſſet; translatam ſubinde in ſacram remigraſſe Domum, & in ſuam ſedem recepiſſe ſe. Itaque illos, re nequicquam ſæpe tentata, irrito demum incepto deſtitiſſe. Exin alio Recinetenſium curæ verſæ. Nondum excipiendæ aduenarũ multitudini ſatis, ſiue tectorum, ſiue tuguriorum erat. Nec iam ſupererat in ſacra æde locus votiuis ſimulacris, donisque. Itaque ne peregrini, quorum plerique tectis excluſi, qua-

Tradit. Lau.

Chriſti crucifixi effigies in S. Aedem remigrat.

ſi, quaſi in ſtatione pernoctabant, ſub dio eſſe cogerentur: neue votiua dona iniurijs temporum expoſita interirent; circa ſacellum ſatis amplas porticus exſtruunt, vel aduenarum, vel donorum receptacula. Ara quoque ſacello extrinſecus adſtructa: vt aduenæ ſacelli anguſtijs excluſi operantem inibi ſacris ſacerdotem proſpectare poſſent. His adiecta ferunt tecta, vbi ſacerdotes, cuſtodes, miniſtri ſacroſanctæ cellæ habitarent. In parietibus porro, quibus porticus applicatæ erant, præcipua ſacræ Domus myſteria, ac multiplex eiuſdem migratio coloribus expreſſa egregij illa tempeſtate pictoris manu. *Hier. Ang.*

Cæleſtia lumina natalem B. Virginis diem celebriorem in natali eius domo faciunt. Cap. XVII.

INterim mira dictu, viſuque res diuinitus oblata mortalibus oſtendit, quo potiſſimum tempore cordi foret Deiparæ Virgini, natalem domum ſuam eximio cultu celebrari. Paulus erat quidam homo ſolitarius, abſtinentiæ & ſanctimoniæ miraculo venerabilis; cui à ſylua vbi, inde vſque à primo ſacræ Domus in Italiam aduentu habitabat, cognomen fuit. Is igitur poſt ſanctæ Domus è ſylua migrationem, ſibi quoque migrandum ratus, in proximo nemore, opportuno loco ſtruxerat caſam: vnde ſacroſancta Aedes, & conſpiceretur facile, & adiretur. Eã quippe veteri inſtituto adibat quotidie adoraturus Deum cum eius matre, *in loco vbi ſteterant pedes eius*. Paulus ergo intra tugurium, in ſacroſancti ſacelli, velut in B. Mariæ conſpectu, precibus, cæleſtiumque rerum meditationi de more inſiſtens, notauit ſæpius, cæleſtem flammam longe lateque diffuſam, inſtar ingentis cometæ, quæ B. Virginis cellæ incumberet. Rem ac tempus intentius obſeruans comperit, V. Idus Septembris, hoc eſt ipſo natali B. Virginis die, quotannis quarta ferme vigilia, plurimum la- *Bapt. Mant. Hier. Ang. Paulus à Sylua. Flamma cæleſtis S. Domui incubat.*

bi de cælo ignem, & æquabili tectum ædis ſplendore operire: nec ita multo poſt ſublimem vnde venerat, recipere ſeſe. Stupere Paulus ad tam præclarum ſpectaculum ingenti voluptate perfuſus. Atque, vt erat homo antiqua ſimplicitate, exiſtimabat B. Virginem ipſam in ſuam natalem domum flammæ ſpecie delabi cælo, ad ſua incunabula celebranda. Itaque tantæ rei propius ſpectandæ auidus cœpit opportunitatem temporis captare. Nihil illi longius eo die videri. Demum vertente anno, ſimul ac cæleſtis flamma ſe oſtendit; impigre accurrit, cæleſtem ſcilicet Reginam ſuperum comitatu ſeptam conſpecturus oculis, vt credebat, & impenſe ſalutaturus. Cæterũ appropinquãti, quo propius ſpes admouebatur, hoc magis res, ac flãma primum extenuari, ad vltimum euaneſcere, elabique ex oculis, credulo ſpectatore ſpei irrito relicto. Eius itaque animus, quaſi illum in ſe totum transfudiſſet ignẽ, ardentiore deſiderio, curaque æſtuabat; ignarus quid tandem cæleſtis illa flamma portenderet. Et iam decennium abierat, cùm quotannis eodem ſemper die cæleſtis ille ignis ſacro tecto incubans, viſentiſque ſpem fallens pium accenderat pectus. Ad vltimum cæleſti numine precibus exorato, fit compos voti. In quiete per noctem cæleſti indicio diſcit, natali Deiparæ Virginis die, domum eius natalem anniuerſaria inſigniri flamma: propterea quòd ei cordi eſſet, cum inibi diem inſigni cerimonia agitari coli que. Igitur Paulus, qui admirabile illud ſpectaculum obfirmato ad eam diem ſilentio texerat, ſiue religione tactus, ſiue, vt creditum eſt, B. Virginis per quietem ſubactus imperio, Recinetum ſtrenuè tendit: ſacrorum Antiſtiti primoribuſque ciuitatis rem omnem enuntiat. Erat Paulus ab opinione ſanctitatis eximiæ, grauis quamuis magnæ rei author. Antiſtes ergo ſimul authoritate viri, ſimul rei ac temporis congruentia motus, cæleſtia ſigna haud vana credidit. Extemplo res in vulgus edita Recinetenſes perpulit, vt auguſtiſſimam Virginis cellam

ipſo natali eius die præcipuo celebrarent cultu, rituque. Quo factum eſt, vt finitimi deinceps, ac longinqui etiam populi, ſiue Recinetenſium exemplum, ſiue miraculi famã ſecuti, Septembri potiſſimum menſe Lauretum accenſis ſtudijs confluant, ad agitandum natalem B. Mariæ diem. Et inflammauit deinde ſtudia populorum noua Pontificũ largitas, qui illud maximè tempus (vt ſuo loco demonſtraturi ſumus) Indulgentijs ampliſſimis cumularunt. Talia porro cæleſtium ignium ſpectacula complures non annos modo, ſed ætates tenuere. Vigeſimus circiter annus eſt, cum Recinetenſium plures non minus probitate, quã ætate conſpicui Raphaeli Rieræ, vnde ipſe accepi, ita narrarunt: Sub natalem Virginis Deiparæ diem, nocturnos ignes de cælo ſuper Lauretanum tectum labi viſos ſua memoria, inſpectante Recinetenſi ciuitate vniuerſa: nec ſemel ab ipſiſmet cum incredibili animi lætitia eſſe conſpectos. Simul addebant, Pridie eius diei ſub noctem intendentibus ſe tenebris, Recinetenſes vulgo concurrere ſolitos ad tam gratum, iucundumque ſpectaculum; vt ex mœnibus tectiſque, vnde modo Lauretana ſedes conſpici poſſet, admirabili illa cæleſtis flammæ ſpecie oculos, atque animos paſcerent. Tenet fama anniuerſarium hoc ſpectaculum ad Pauli Tertij Pont. Max. tempora duraſſe. Nec fermè ex Lauretanis rebus res eſt alia nobilior. Itaque id non tantum hiſtorici memoriæ prodidere, ſed etiã Nouidius Poeta minimè obſcurus in egregio carmine, quod dicauit Paulo Tertio Pont. Max. mandauit verſibus, quos huic hiſtoriæ intexere pretium operæ duximus. Is igitur B. Virginem laudibus efferens ita canit:

Euenere igitur, tot ſtant tibi templa, quot aſtra,
Quotque ſibi gentes maximus orbis habet.
Stent licet, illa placent quibus eſt hæc orta, iuuatque
Dicere in hoc ingens eſt Dea nata loco.
Scilicet illius, viſu mirabile, in auras
Parthum exoſa domus vulſa receſsit humo.

Natali B. Virg. die S. Domus præcipue celebratur.

Cæleſtis flammæ prodigiũ recens.

Riera in Annal. Laur.
Ambr. Nou. Faſt. lib. 9.

Cumque locis diuerſa foret, tituloſque referret,
Vltima Piceni nomina gentis habet:
Neue ſequens ætas mendacia credat, Olympi
Hac in nocte illam lambit ab axe iubar.

Laureto pago legibus temperato, Recinetenſes templum ſacræ Domui circundant. Cap. XVIII.

Bapt. Mant. Hier. Ang. CAeleſtibus hiſce prodigijs acti Recinetenſes ad Lauretanam Aedem ſumma ope tuendam, ornandamque omnes intendere curas. Iam Lauretanus pagus, multis vndique eo, ſeu Virginis, ſeu commercij ſtudio commigrantibus, magis ac magis frequentabatur in dies. Igitur commodiſſimum rati, incolas vnum in locum congregatos legum inſtitutorumque ſocietate adſtringere, iura pariter eis, & Præſidem dant, qui præſit iuri dicundo. (Lauretanis Præſes datur.) Rebus intra pagum compoſitis, foras verſæ ſunt curæ. Egentes, ac facinoroſi homines, ſiue prædandi occaſione, ſeu prædæ dulcedine illecti peregrinos in ſaltibus circumiectiſque militari viæ nemoribus, palantes, ac vagos adorti ſpoliabant. Ea res ad Recinetenſium dignitatem, exiſtimationemque pertinere viſa. Itaque Prætori ciuitatis negotium datum, vt aucto ſatellitum numero, itinera quæ ad Lauretanam Aedem ferrent, à latrocinijs tuta præſtaret. Conſilium vt pium, ita felix fuit. Prætor abſtruſiſſimas ſyluarum latebras ſolertiſſimè rimatus, graſſatoribus extremo ſupplicio affectis, breui ſumma cum laude omnem repurgauit regionem. Et Prætoris laus in ciuitatem, à qua conſtitutus Prætor fuerat, redundauit. Ex eo Recinetenſi ciuitati Iuſtiſſimæ cognomen inditum. Noua ſubinde illorum temporum calamitas, ſacrorumque incuria pietatem Recinetenſium fecit illuſtrem. Interim dũ hæc in Piceno aguntur, Clemens V. Pont. Max. tertius à Bonifacio (Benedictus enim XI. Bonifacij ſucceſſor paucorum

corum menſium Pontifex fuit. Pontificiam ſedem anno eius ſæculi quinto tranſtulerat in Galliam, ingenti cum detrimento Italiæ, Chriſtianæque Reipublicæ pene vniuerſæ. Id adeo fortuitum Lateranenſis baſilicæ incendiũ per id tempus portendere Vrbi viſum. Nam Clemente Rom. Pont. Lugduni nouam ſtatuente ſedem, Romæ Lateranenſis baſilica, antiqua ſedes Romanorum Pontificum (incertum fraude hominum, an caſu) deflagrauit. Nec multo melior Italiæ conditio fuit, aut Ioanne XXII. qui Clementi ſubrogatus Pontificiam Auenione conſtituit ſedem; aut Benedicto XII. cæteriſque Romanis Pontificibus, qui Ioannis exemplo deinceps Auenione ſederunt. At Recinetenſium in nouo templo condendo religio enituit, iniquiſſimo vel Chriſtianæ Reipublicæ, vel ſuo tempore. Nuper quippe, hoc eſt anno M. CCC. XXII. Recinetum iuſſu Ioannis XXII. quod à Pontifice deſciuiſſet, exciſum fuerat; ciueſque alio commigrare iuſsi. Rebus ergo cum Pontifice compoſitis, oppidoque in noua ſede, vbi nunc eſt, condito, vel ob direptionem Vrbis, vel ob nouarum ædium ædificationem, omnibus fermè erant rebus exhauſti. Tamen B. Mariæ Patronæ ſuæ religione ſtimulante, templum Lauretano ſacello circundare moliebantur. Namque creſcente in dies aduenarum, donorumque copia, cum peregrinos votiuaſque eorum imagines, ac tabellas adiunctæ porticus haud quaquam caperent; Epiſcopus Maceratenſis, in cuius diœceſi Recinetum erat, ſumma Recinetenſium approbatione ædificando circa ſacellum templo adiecerat animum. Igitur magnum circumiacentis agri ſpatium ad eam rem facile impetratum: diſturbatiſque porticibus, templum ære publico à fundamentis exſtructum eſt, humile illud quidem pro magnitudine; ſed tamen ſatis amplum, capaxque. Adiectæ templo ampliores ædes Sacerdotũ, miniſtrorumque habitationi, & nobiliũ aduenarũ hoſpitio deſtinatæ. Quibus deinde diuerſoriũ pauperũ peregrinorũ acceſsit.

Nova

Pontificia ſedes transfertur in Galliam.
S. Antoni. p. 3. Platin. Clem. V.

Io. Vill. li. 9.

S. Domui templũ circundatur.

Noua Aedes Lauretana à Benedicto XII. Indulgentijs ornata impenſius celebratur. Cap. XIX.

Hier. Ang. Benedicti XII. Indul.

CONdito ornatoq; templo ornamentum deinde maius adiectum. Poſtulatum eſt à Benedicto XII. Pont. Max. vt certam delictorum Indulgentiam Lauretanum templum rite viſentibus largiretur. Haud ægre impetratum. Ex eo tempore tantus Recinetenſium pectoribus ardor iniectus, vt plerique eorum nullis fere negotijs impedirentur, quominus Lauretanam Aedē a tertio milliario (tantum quippe diſtat ab oppido) reuiſerent quotidie. Quin etiam parui eorum filij a parentibus, ac nutricibus aſſueſieri cœpti, vt quotidie mane è cunabulis prodeuntes ad natalem ædem Virginis verſi, Lauretanam matrē agnoſcerent, ſalutarentque venerabundi. Cæterum ſenes, ac valetudinarij ſenio, morboue tardante, cum de more ad Lauretanum templum itare non poſſent, B. Mariæ Lauretanæ effigiem coloribus exprimendam curarunt in foro. ibique ſacello, araque excitata, ab eodem Benedicto Pontifice aureis exaratum litteris diploma impetrarunt, quo diplomate ad aram illam orantibus peccatorū venia impertiebatur. Id ipſum diploma carie, ac vetuſtate confectum Hieronymus Angelita, vnus è primoribus Recinetenſis ciuitatis, qui circiter LXX. ab hinc annis floruit, abſe viſum eſſe confirmat. Maceratenſis porrò Epiſcopus (qui idem illa tēpeſtate & Recinetenſis erat) prodendam poſteris Aedis Lauretanæ memoriam ratus, libellum edendum curauit, qui admirabilem ſacroſanctæ Domus in Italiam aduentum, triplicemque eius in Recinetenſi agro migrationem; præcipua inſuper B. Mariæ Lauretanæ prodigia, ac miracula contineret. Et quo altius in teneræ ætatis animos Virginis Lauretanæ religio deſcenderet, Recinetenſis ciuitatis decreto ſancitum

eſt,

eſt, vt ludi magiſtri omnes in tradendis primis litterarum elementis, omnium primum talibus narrationibus imbuerent pueriles aures, animoſque: libelliquc illius lectioni paulatim rudem aſſuefacerent ætatem. Hinc eximia illa Recinetenſium animis inſita religio, pietaſque aduerſus Lauretanæ Virginis Domum.

Aedis Lauretanæ ſtatus, Romanis Pontificibus Auenione ſedentibus. Cap. XX.

QVam porro altas in Picentium pectoribus radices egerit per id tempus Aedis Lauretanæ religio, vel illud indicio eſt, quod nullo fermè Romanorum Pontificum adminiculo erecta, ſuis ipſa propemodum viribus innixa ſtabat. Quippe per eadem tempora, vt diximus, tranſierat Romana ſedes in Galliam. Et quia aberat ab Vrbe atque Italia Pontifex, multa ab Aede Lauretana, & decora & ſubſidia aberant, quæ nunc ſunt, ac tum fuiſſent, niſi auguſtiſſima Aedes tot, tantiſque miraculis, ac prodigijs clara, tam procul abfuiſſet à Pontificum oculis auribuſque. Cæterum ne ſic quidem Pontificijs ornamentis omnino caruit. Quanquam Pontificiæ ſedis longinquitas fecit, vt à Romanis Pontificibus, quamdiu ſederunt in Gallia, non tam ornata, quam non neglecta videretur. Erat iam Lauretana Aedes à Benedicto XII. Indulgentiæ munere inſignita, cum Clemens VI. eius ſucceſſor ſæcularem Iubilæi celebritatem ad quinquageſimum annum reuocatam abſens ab Vrbe (ſedem quippe Auenione habebat) indixit egitque. Et vndique concurrentium Romam populorum multitudo fuit pene incredibilis. Ex qua complures, Flaminiæ ſcilicet, Aemiliæque incolas ad Lauretanam Aedem fama iam celebrē, ex itinere deflexiſſe oportet. Atrox inde peſtilentia ab ipſa Vrbe orbis terræ capite orſa totam fermè funeribus exhauſit

S. Anto. p. 3. Plat. Clem. VI.

hauſit Italiam. Triennium omnino tenuit: quo tempore Italiæ vrbes vix centeſimo quoque ſuperſtite, pene ad ſolitudinem ac vaſtitatem redactæ. Quæ prope infinita clades multos profectò perpulit Italorum, vt implorata B. Mariæ Lauretanæ ope, in tam horribili tempeſtate, ac procella, cæleſtis auxilij vmbra tegerentur. Vigeſimo ferè anno interiecto, Clementi ſucceſſit Vrbanus V. qui Romam aliquando reuiſit, non quidem ea mente, vt Pontificiam ſedem eo reuocaret, ſed vt res vrbanas, & Italiæ turbas componeret. Cæterum ſub reuerſionem ab vrbe in Galliam, ceſſit è vita. Gregorius inde XI. Pontificatum occepit. Is ſimul Italiæ incommodis, ſimul Catharinæ Senenſis, Virginis mirificæ ſanctitatis inſignibus inclytæ precibus motus, Pontificalem ſedem aliquando retulit Romam, anno LXX. quam tranſlata erat in Galliam.

Schiſmatis diuturnitas Lauretanam Aedem multis Pontificum fraudat beneficijs. Cap. XXI.

S. Anto. p. 3. Platin. Vrb. VI.

GRegorio breui rebus humanis exempto, Pontifex creatur Vrbanus, huius nominis ſextus. Huic à factione Gallicana Clemens VII. pſeudopontifex obiectus, qui Romanæ Sedi ſedem ſuam Auenionenſem, quam Romanam dici volebat, oppoſuit. Ex quo turbata, diuiſaque duas in partes Eccleſia. Cæterum Romani Pontificis abſentia, quantum Aedis Lauretanæ ornamentis, cômodiſque obſtitiſſet, vel illa ipſa tempeſtate, ex eius præſentia intellectum eſt. Quippe Vrbanus quamuis ſchiſmate, & ſchiſmaticorum Principum armis, atque inſidijs exercitus agitatuſque; tamen in tanta curarum & negociorum mole, ad Lauretanam Virginem ornandam curæ aliquid deriuauit. Nam de cæleſtibus flammis V. Idus Septembris ſupra Aedē Lauretanam ſpectari ſolitis certior factus, cæleſti Reginæ honeſtandæ animum adiecit. Natalemque

Vrbani VI. beneficia.

Ex Bull. Bonifacij IX.

lemque Virginis lucem cœleſtibus à Deo prodigijs decoratam Pontificijs à Dei Vicario muneribus decorandam exiſtimauit. Lauretanam igitur Domum ipſo natali Virginis die viſentibus cumulatiſſimam delictorum omnium Indulgentiam impertiuit, anno eius ſæculi XC. mira omnino opportunitate. Vrbano enim ſubrogatus Bonifacius IX. non modo Vrbani exemplo, nouis Indulgentijs Lauretanam cumulauit Aedem, ſed Iubilei celebritatem egit, quæ Bonifacij VIII. inſtituto in annum M.CCCC. incidit. Itaque vt ſedes Pontificalis Romam aliquando reuocata, cupidoque viſendi Pontificis mortales innumerabiles vndique in Vrbem ad Baſilicas Apoſtolorum exciuit; ita cæleſtium ignium, Pontificiarumque Indulgentiarum fama complures eorum ad Lauretanam cellã Septembri potiſſimum menſe viſendam, natalemque Virginis diem inibi agitandum accendit. Per ea tempora Recinetenſes viam, quæ ducit Lauretum (vt etiam per hyemem ſacra Aedes commode adiri poſſet) laterculo ſternendam, marginandamque locauerunt. Sacella etiam propter viam, iuſta per interualla excitarunt, ſiue pietatis incitamenta, ſiue in ſæua tempeſtate, ſuffugia. Recinetenſium exemplum alios Picentium populos ad par pietatis decus excitauit. Igitur ex finitimis oppidis vrbibuſque viæ, quæ Lauretum ferrent, ſterni cæptæ: & ab Ancona, Auximo, Monteſancto, Firmo, Lauretum vſque perductæ. Amnes etiam agrum Picenum interfluentes pontibus iuncti, vt tutum peregrinis, expeditumque iter darent. Cæterum Lauretanæ Domus ornamentis haud multo minus continuata rei Chriſtianæ diſtractio obſtitit, quàm Romani Pontificis commoratio Gallicana obſtiterat. Schiſma quippe multiplex, ac varium, quale nunquam antea, plures Pontificum exercuit per annos circiter XL. Quoad Martinus V. ſummo omnium conſenſu Pontifex Max. in Conſtantienſi Concilio creatus pacem aliquando orbi Chriſtiano, & concordiam peperit. Ve-

Hier. Ang.

S. Ant. p. 3.

rumenimuero illa tam fœda diſcordiarum tempeſtas,ſicut Eccleſiam, ac Pontifices ingenti malorum mole oppreſſit, ita Lauretanam Aedem haud paruo fraudauit cumulo bonorum. Id adeo quæ conſecuta ſunt tempora declararunt.

Martinus V. Indulgentijs, & Nundinis Lauretanam ornat celebritatem. Cap. XXII.

QVæ ab translata Aede B. Mariæ ex Galilæa,ad eandem Laureti conſtitutam, celebrarique cœptam in multiplici Chriſtianę rei varietate,motuque geſta ſunt, adhuc expoſui, res cum vetuſtate, ac rerum perturbatione ſubobſcuras; tum raris per ea tempora litteris illuſtratas. Ad hæc, ſi quæ in Recinetenſium commentarijs, alijſque publicis, priuatiſque erant monumentis, incenſo (vt ſupra diximus) cum vrbe tabulario, pleraque interiere. Cæterum ſubleuauit Recinetenſem cladem Dalmatarum induſtria. Flumenſes Terſactenſibus finitimi, Leone X. Pontifice Maximo, Lauretanæ hiſtoriæ origines ac primordia haud mediocriter illuſtrarunt. Nam de prima ſanctiſſimæ huius domus in Dalmatiam migratione, exploratione, cultu, ac miraculis conſignata litteris Recinetenſi populo miſerunt ea, quæ in vetuſtis maiorum ſuorum annalibus repererant. Et Recinetenſes Leonem Pont. de hiſce rebus certiorem fecerunt. Authorem habeo Hieronymum Angelitam, qui illo ipſo tempore Recinetenſi ciuitati erat à ſecretis: & ſubinde Lauretanam hiſtoriam,vbi hæc memoriæ prodidit,Clementi VII. Leonis patrueli, & participi ſecretorum dicauit. Nos igitur Angelitam haud dubiæ fidei authorem ſecuti ex Illyricorum annalibus primam huius hiſtoriæ partem texuimus, ijs quæ in proprijs Recinetenſium monumentis calamitas vrbis reliqua fecerat, adiectis. Clariora deinceps, & vberio-

Hier. Ang.

vberiora tradentur, quæ paulo diligentius, vel memoriæ prodita, vel litteris cuſtodita ad noſtram ætatem, noſtraſque manus peruenere. Martinus ergo pace, & otio Eccleſiæ parto, antiquiſſimum habuit Lauretanam Aedem miraculis, ac prodigijs nobilem ſuo aliquo munere inſignem relinquere. Itaque multis magniſque Indulgentiarum propoſitis præmijs, mortales omnes ad Lauretanum ſacellum Septembri potiſſimum menſe viſendum, colendumque inuitauit. Porrò anno eius ſæculi ferme XX. hoc beneficium nouo beneficio cumulauit. Solemnes Recineti Nundinas *ad laudem, & gloriam, & honorem Lauretanæ Virginis* (vt ipſe in litteris Apoſtolicis ait) inſtituit, ratus fore, id quod euenit, vt ob locorum propinquitatem, Recinetenſis emporij celebritas celebritatem augeret Lauretanæ Domus: quippe cum finitimos populos mercium illecebra, mercatores Indulgentia delictorum ad Lauretanam Aedem celebrandam alliceret. Lauretanas porrò Indulgentias trimeſtres eſſe voluit, & Recinetenſi mercatui pares. nimirum, vt Septembri, Octobri, Nouembri menſibus, quibus Recinetenſis mercatus celebraretur, indulgentiæ Laureti percipi ab adeuntibus rite B. Virginē, poſſent. Martini exemplum plures deinceps Pontificum ſecuti, Iulius II. Xyſtus IV. & Leo X. (vt ſuis deinde locis dicturi ſumus) Recinetenſem mercatum ſua authoritate firmarunt: & Lauretanum templum Pontificalibus beneficijs adauxerunt. Cæterum Martino V. Pont. Lauretani templi non celebritas modo, ſed etiam cultus maximè auctus. Affluentibus Sacerdotibus voluntarijs Aedis Lauretanæ miniſtris, ædes egregiæ (Canonicam vocant) ad meridiem excitatæ. Prætorium quoque exſtructum, & hoſpitium quà nobilibus, quà pauperibus aduenis deſtinatum.

Martini V. beneficia.

Ex Bull. Iul. II.

Lauretani templi opulentia Eugenio Quarto Pont. Cap. XXIII.

EVgenius Quartus Martino ſublectus ſimul vrbanis turbis, ſimul nefarijs Baſilæenſis Concilij iam corrupti decretis exagitatus, inſuper Felicis V. Pſeudopontificis ſchiſmate, & Florentino Concilio ab ſe indicto implicitus, ſpatium fere nullum habuit de Lauretanæ Domus *Fl. Blondus Flimenium.* ornamentis cogitandi. Verum Flauius Blondus qui Eugenio ab epiſtolis fuit, hiſtoricus illis temporibus haud ignobilis, veluti Pontificis vicem implens Lauretanam Virginis cellam ampliſſimis verbis ornauit. *Recanetum inter, & Adriaticum mare* (inquit) *paululum a Muſione fluuio recedit celeberrimum totius Italiæ, vt in aperto, immunitoq; uico ſacellum glorioſæ Virginis Mariæ in Laureto appellatum: quo in loco preces ſupplicantium a Deo, genitricis ſuæ interceſsione exaudiri, illud maximum certiſsimumque eſt argumentum, quod eorum, qui uotis emiſsis exauditi fuerunt, ex auro, argento, cera, pannis, ueſte linea, laneaque appenſa donaria magno luenda precio, baſilicamque omnem pene complentia, Epiſcopus in Dei Virginiſque gloriam intacta conſeruat.* Ex quo ſatis apparet, quæ fama, quæ religio, quæ celebritas Lauretanæ Domus, quæ varietas, & copia donorum fuerit Eugenio Pontifice, hoc eſt anno poſt Chriſtum natum circiter MCCCCL. Qui annus Iubileo celeber Lauretanam de more auxit celebritatem, opulentiamque. *Blon. lib. 5. Dec. 3. Sabel. lib. 2. En. 10.* Sub id tempus Franciſcus Sfortia, Philippi Vicecomitis Mediolanenſium Ducis impulſu, bellum aduerſus Pontificem geſſit. Et Piceno qua vi, qua dolo in ſuam ditionem redacto, victor B. Mariæ Lauretanæ templum fama celeberrimum viſere ſtatuit. Præerat Piceno cum ſumma *Ioa. Vitelleſcus Ep. Recinet.* poteſtate Ioannes Vitelleſcus Recinetenſis Antiſtes, vir conſilio, manuque promptus. Is ergo veritus nequid detrimenti ſacellum donis opulentum caperet ab inſolenti

victoria milite; materiam auaritiæ ſubtrahere occupat: & præcipua Lauretani templi ornamenta clam in nauim ad id paratam impoſita ſecum propere Venetias primum, inde Rauennam aſportat. ita, & ſacrilegij materies ſubducta, & ſacra dona in tutum recepta; ac deinde ſedata illa tempeſtate, reportata. Nec dubium Deiparæ præſidium per ea tempora in Aede Lauretana tuenda apparuit. Nã cum diuturno, grauique bello tot exercitus Sfortiæ, Pontificis, Alphonſi Regis Neapolitani toto Piceno impune volitarent, tot copiarum Duces Lauretum accederent; tamen in direptione tot oppidorum, atque vrbium, vicus mmunitus, templi opulentia, vt tum res erant, inclytus, ſemper intactus, inuiolatuſque permanſit: tanta ſeu loci ſanctitas apud homines, ſeu Virginis tutela rerum ſuarum fuit.

Lauretana Domus à Nicolao V. Indulgentijs augetur, contra vim Turcarum munitur. Cap. XXIV.

NIcolaus inde Quintus Eugenio mortuo, Pontificatũ excepit, qui ne à Martino in B. Mariæ cultu vinceretur, Lauretanam eius cellam Pontificijs muneribus auxit. Videbat diem B.Virgini ab Angelo ſalutatæ ſacrum maximè inſignem illi Domui, ac memorabilem eſſe; quippe cum Deus eo ipſo die inibi naturam humanam induiſſet. Lætiſſimam ergo illam lucem, qua iacta ſunt fundamenta ſalutis humanæ, anniuerſaria Indulgentia decorauit. Ex quo templum Lauretanum, vt tanti myſterij memoria dignum erat, quotannis illo die eximie celebrari eſt cœptum. Porrò Nicolaus Lauretana Aede Indulgentijs cohoneſtata, opulentiæ quoque ædis conſulendum putauit. Igitur magnopere cauit, ne Lauretana dona auerterentur, neue diuenderentur, arcens ingreſſu Eccle-

Nicolai V. Benef.

Hier. Ang.

ſiæ Antiſtitem Recinetenſem, ſi quid eorum in poſterum diſtrahere, aliosue in vſus conuertere auſus foret, ſin autem vendita iam, ac diſtracta intra vuius menſis ſpatium, non recuperaret, Epiſcopatu deijciens. Ciuitati inſuper Recinetenſi eodem diplomate negocium datum, vel recuperandi Lauretana dona, vel tuendi. Nec pace ſolum, ſed bellico etiam tumultu, inſignis Nicolai Pontificis pietas in Lauretanam ſedem enituit. Sub id tempus Mahometes Turcarum Rex Conſtantino Palæologo Orientis Imperatore cæſo, Conſtantinopoli vi capta, fœdeque direpta, Turcici ſedem imperij tranſtulit in Europam, anno poſt Chriſtum natum M. CCCC. LII. Ergo, vt Cōſtantinopolim Chriſtiani Imperij arcem à barbaris captā, Imperatorem ipſum cum nobilitate cæſum, Turcarum Regem tanta victoria inflatum ex propinquo inſultare Græciæ, minitari exitium Italiæ fama tulit; enimuero tantus Chriſtianis viribus terror inceſſit, vt tota Italia trepidatum ſit. Itaque Nicolaus ſatis memor Aedis Lauretanæ, eam aduerſum barbarorum excurſiones ſatis firmo præſidio munit: & ſimul in hoſtem omnibus viribus conſurgere parat eius rabiem compreſſurus.

S. Anto p. 3.

Conſtantinopolis à Turcis capta.

A Calliſto III. aduerſus Turcas comuunita Domus, barbaros alio vertit ingenti clade perculſos.
Cap. X X V.

S. Anto. p. 3 Plat. Calliſt. III.

CAEterum Nicolao in ipſo apparatu, ac meditatione Turcici belli ex mœrore, vt ferunt, extincto ſucceſſit Calliſtus Tertius. Is, quia fama erat, Turcas victoria vſos magna Peloponneſi, Epirique parte in ſuam ditionē redacta, in Dalmatiam, atque in ipſam Italiam furore ac rabie inſtinctos rapi; nihil habuit antiquius, quam vt Lauretanam Domum tutaretur, haud dubius quin illa ſalua, Deiparæ præſidio cætera in Italia ſalua eſſent futura. Igitur

Calliſti III beneficia.

tur Rodericum Borgiam fratris, & L. Ioannem Milianum ſororis filios cum Legatorum Pōtificiorum munere, ac nomine, copijs præficit. Horum alterum in Picenum, Lauretana Domo præcipue eius curæ demandata, alterum Bononiam è veſtigio deſtinat. Veniunt ambo Legati cum ſuo vterque exercitu Lauretum; ibi pacem, veniamque à Deo, Deique parente comprecati ſacram Aedem à muris, & propugnàculis nudam tumultuario opere aggeribus cingunt. Cæterum B. Virgo, tametſi Pontificis, Pontificiorumque Ducum erga ſe voluntatem minimè aſpernata; ſuam ipſamet cæleſti ope protexit domum, Turcarum rabie alio auerſa, domitaque. Quippe per id tempus Pontificia claſſis non magna, duce Patriarcha Aquileienſi, *S. Anto. p. 3.* Aſiæ oras felici auſu, euentuque populata, effuſum Barbariæ impetum fregit. *Sabel. Aen. 10. lib. 6.* Turcica claſſis acie victa, pleræque triremium captæ. Vſumcaſſanus inſuper Perſarum Rex, Calliſti inſtinctu, Turcarum fines infeſto agmine ingreſſus, egregias reportauit de ſuperbiſſimo hoſte victorias, non tam humana vi (vt ipſemet litteris ad Pontificem datis profeſſus eſt) quam ope diuina. Ioannes quoque Hunniates Præfectus Vngariæ per eadem ferme tempora Turcas Belgradum Vngariæ oppidum nobile, maximis copijs ac viribus obſidentes adortus, non magna militum manu ingentem eis intulit cladem. Haud humanæ opis res viſa. Ioanne Capiſtrano viro ſancto ex Franciſcana familia Chriſti crucifixi ſignum inferente, barbari fuſi, cæſique. Mahometes ipſe Turcarum Imper. vulneratus. Nec obſcurum Dei auxilium fuit; tam inſignem victoriam ipſi belli Duces diuino numini acceptam retulere. Itaque tot, tantæque de præpotenti hoſte victoriæ omnium conſenſu diuinitus partæ, ad bene de Rep. ſperandum Chriſtianorum animos erexerunt. Haud parua deinde dictu res, & ſpem piorum auxit, & S. Mariæ Lauretanæ nomen toto pene Chriſtiano orbe propagauit.

Sani-

Sanitate Pio II. reddita, longe celebrior, clariorque eſſe cœpit. Cap. XXVI.

Plat. in Pio II.

PIus Secundus Pont. Max. Calliſto ſublectus eſt, vir ingenio & virtute clarus. Is Chriſtianis Regibus, ac Principibus non modo per litteras, legatoſque, ſed etiam per ſe in Concilio Mantuano ſua præſentia, ac voce ad Turcicum bellum incitatis, ex itinerum laboribus in longinquum, periculoſumque incidit morbum, alieniſsimo Chriſtianæ Reipub. tempore. Quippe magna ſacrorum militum pars, qui cruce inſignes ſacræ militiæ dederant nomen, Anconam Pij Pont. iuſſu conuenerant: iamque Pontificis ipſius ex compoſito præſtolabantur aduentum. Cæterum ſenile, laboribuſque fractum Pij corpus, alieniſſimo tempore ardens febris, moleſtiſsimaque tuſsis adeo afflixerant, vt non dicam ire, ſed aſpirare Anconam, vti conſtituerat, haud quaquam valeret. Damnata igitur ſpe, atque ope medicorum, B. Mariæ Lauretanæ, cuius egregiam vim in morbis diuinitus curandis, fama acceperat, implorat opem, non tam vrgentis morbi, quam Anconitani itineris remedium quærens. Nec dubius auditas preces, extemplo calicem aureum opere, ac pondere inſignem B. Virgini donat, dicatque. Addita votiuo calici ab ipſo Pontifice in voto nuncupando dictata inſcriptio, Pontificij voti donique monumentum.

Tradit. Lauret. Bern. Cyril.

Pij II. Pót. donum.

PIA DEI GENITRIX
QVAMVIS TVA POTESTAS NVLLIS COARCTETVR FINIBVS, AC TOTVM IMPLEAT ORBEM MIRACVLIS; QVIA TAMEN PRO VOLVNTATE SAEPIVS VNO LOCO MAGIS, QVAM ALIO DELECTARIS: ET LAVRETI TIBI PLACITAM SEDEM PER SINGVLOS DIES INNVMERIS SIGNIS ET MIRACVLIS EXORNAS; EGO INFE-

FELIX PECCATOR, MENTE, ET ANIMO, AD TE RECVRRO SVPPLEX ORANS, VT MIHI ARDENTEM FEBRIM, MOLESTISSIMAMQVE TVSSIM AVFERAS: LAESISQVE MEMBRIS SANITATEM RESTITVAS. REIP. VT CREDIMVS SALVTAREM.
INTERIM HOC MVNVS ACCIPITO MEAE SERVITVTIS SIGNVM.
PIVS PAPA II. ANN. HVM. SAL. M. CCCC. LXIIII.

Et donum Virgini cordi fuit, nec ſua ſpes pium Pontificem vlla fefellit ex parte. Mirum dictu. voto nuncupato, extemplo febris ardor refrigeſcere cœpit, tuſsis remittere, redire vires affectis ac pene conſumptis, morbo pariter & ætate, membris. Pius ergo moræ impatiens, nõdum ſatis confirmata valetudine, committit ſe viæ, Anconam iturus, & Lauretanæ Virgini ex itinere votum exſoluturus. Lectica delatum complures Cardinalium Romanorumque procerum proſecuti, quos partim Pontificis caritas, ac reuerentia, partim miraculi fama, partim etiam ſacri exercitus viſendi cupido ab Vrbe exciuerat. In itinere Pontifex quo propius Lauretanam Aedem accedebat, hoc melius habebat: vt facile appareret inde vires augeri. Itaque ad B. Mariæ patronæ ſuæ conſpectum valens, ac vegetus peruenit: & præſentis opis in Vrbe, atque in via expertæ memor vota perſoluit. Nunquam aliàs ante maior Lauretanæ maieſtatis ſpecies viſa. Vno tempore Cardinalium, primorumque Romanæ ciuitatis plurimos Pium proſecutos, ſatis etiam multos egregios bello Duces ex Ancona Pontifici obuiam progreſſos, ipſumque Pontificem Max. ante Lauretanam Virginem ſupplices, ac venerabundos videres. Pius ergo voti religione exſolutus, ijſdem comitantibus pergit Anconam. Cæterum quo minus voti, cuius compos a Lauretana Virgine

Pius II. Laur. Virg. adit.

factus erat, fructum perciperet, impedimento fuit ſociorum ſacri belli mora. Nam dum grauior iam ætate, ac viribus Pontifex per æſtiuos calores Anconæ ſedet, Venetæ claſsis Ducem, aliosque belli ſocios expectans, ſiue moræ tædio, ſiue ſenio affectum corpuſculum vrgente, languere cæpit. Inde in lentã, ac pertinacem incidit febrim, cuius demum tabe conſumptus ad ſuorum laborum, egregijque illius conatus præmia migrauit in cælum, anno eius ſeculi LXVI. Pontifex omnino cum cæteris egregijs animi dotibus; tum vero pietate, ác religione memorabilis. Nec in poſtremis Pij laudibus illa eſt numeranda, quod reddita tali viro, Lauretanæ Virginis ope ſalus, ac tot Principum, gentiũque ſermonibus celebrata, Aedi Lauretanæ plurimum nominis ac religionis adiecit. Quippe ad id vſque temporis (per annos fere centum ſexaginta, ex quo demigrarat in Italiam) Lauretanæ Domus fama Piceni finibus ſe ferme tenuerat: in finitimas ac longinquas regiones vix tenuis quidam, & obſcurus manauerat rumor, vt mirum cuipiam eſſe non debeat, ſacroſanctæ Domus inde vſque à Galilæa in Italiam translatæ famam, neque ad S. Vincentium Ferrerium in Hiſpaniam Auenionenſi ſchiſmate implicatam, occupatamque inſuper religione Montis Serrati, neque ad S. Antoninum, alioſque Etruſcos ſuperiorum temporum ſcriptores, in Etruriam ciuilibus ardentem bellis, inter ſtrepitum fragoremque armorum penetraſſe. Quæ profecto cauſa fuit, cur S. Vincentius veterem famam ſecutus in quodam ſermone; B. Virginis Domum in Galilæa tum eſſe dixerit: D. vero Antoninus, & cæteri illò antiquiores hiſtorici Etruſci nullam omnino de Lauretana Domo fecerint mentionem: memorandæ videlicet eius in Italiam translationis ignari. At Blondus illorum fere æqualis hiſtoricus, vt aſſecla Pontificis, qui rei eſſet ſatis gnarus, illuſtre (vt ſupra demonſtrauimus) Lauretano templo teſtimonium dedit. De tranſportata autem diuinitus Lauretana Domo, idcirco fortaſſe nullũ

verbum paulo antiquiores hiſtorici fecere, ne vana & incredibilia afferre viderentur. Quippe cum tam inuſitatum & à condito æuo inauditum miraculum non dum Pontificia auctoritate firmatum eſſe conſtaret. At valetudo Pio Pontifici Romano pene moribundo in Vrbis, ac prope dicam orbis totius Chriſtiani oculis, euidenti miraculo reſtituta Lauretanæ Virginis ope, immenſum illi addidit nomen. Ex eo namque Aedes Lauretana omnes etiã remotiſſimas terras impleuit fama nominis ſui: & vel ex vltimis orbis terræ angulis Lauretum peregrinos exciuit, quibus per opportunum paucis ante annis Laureti ſubſidium diuina prouidentia præpararat.

Ab Epiſcopo Recinetenſi luculentis prædijs donatur ſubſidio pauperum peregrinorum.
CAP. XXVII.

Hier. Ang.

NIcolaus Aſtius Epiſcopus Recinetenſis vir ſanctimõnia pariter, ac doctrina inclytus fuit. hic, vt erat Lauretanæ Virgini eximiæ deditus, eius cultum omni ope fouere, atque augere ſtatuit. Ingens quotidie peregrinorum pauperum multitudo, ſeu vota reddendi gratia, ſiue Indulgentias conſequendi ſtudio, confluebant Lauretum: quibus arca Lauretana benigne ſatis pro facultatibus ſubueniebat, largam ſingulis ſtipem impertiens. Hunc igitur benignitatis fontem, ne quando deficeret, certis prædiorum fructibus Recinetenſis Antiſtes augendum exiſtimauit. Complura is habebat luculenta ſane, ac frugifera prædia ædi Lauretanæ propinqua. Eá Deiparæ Virgini donauit, dicauitque anno eius ſeculi LVIII. Cuius donationis caput viſum eſt hoc loco interponere, vt appareat ſimul quam eximia Nicolai Epiſcopi erga Lauretanam Virginem pietas extiterit; ſimul quantum pecuniæ, vel illis temporibus, cum nihil omnino poſſideret

Ex Bull. Iulij II. Põt.

Liberalitas S. Domus in pauperes.

Lauretana Domus pauperibus aduenis erogarit. Id eſt eiuſ modi: *Cũ Nicolaus Epiſcopus Recinetenſis, & Maceratenſis, qui Eccleſiã B. Mariæ de Laureto Recinetenſis Diœceſis ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ obtinebat, conſiderans deuotionem continuam, & dilectionem ſinceram, quam ſedulo habebat ad prædictam Eccleſiam B. Mariæ, ac peregrinorum, & aliarum perſonarum, quæ tam ex votis, quam propter Indulgentiam conſequendam, & aliorum debilium, ac pauperum hominum numerum copioſum in dies ad ipſam Eccleſiam B. Mariæ, vltra diem feſtum dictæ glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, confluentium, &* ELEEMOSYNAS IMMENSAS, QVAS CHRISTI PAVPERES EX DOMIBVS PRAEFATAE ECCLESIAE RECIPIEBANT, ET NECESSARIO RECIPERE HABEBANT, & quæ ſequuntur. Quæ res hoc exploratior eſſe debet, quod memoriæ prodita eſt ab eo, cui pro ſuo officio, ac munere Lauretanas res exploratiſſimas eſſe oportuit. His igitur facultatibus aucta domus Lauretana benignitate in aduenas auxit ſuã. Et huius largitatis fama religioni iuncta longe, lateque iucundiſſimum Aedis Lauretanæ nomen diuulgauit; omnes Lauretum inuitans. Quippe remotiſſimarum nationum egentes peregrini, qui opportuni illius ſubſidij participes fuerant; domos ſuos regreſſi, non magis religionem, quam benignitatem prædicabant Lauretanæ Virginis. Eã res alios deinceps ad experiendã quæ audierant, accendit. Mira verò opportunitate huius famæ per Vrbes, atque exteras etiam nationes ſtrenue diſcurrenti parua dictu res magnas per idem tempus addidit vires.

Lauretanæ hiſtoriæ ſumma à Præpoſito Teremano in æde proponitur. Cap. XXVIII.

PEtrus Georgius Præpoſitus Teremanus eximia integritate, ac prudentia vir compluręs iam annos Lau-

retanæ

retanæ Domus Gubernator erat: Nicolao autem Aſtio vita functo, etiam Adminiſtrator Recinetenſis eſt factus. Hic igitur Pio Secundo Pontifice, anno eius ſeculi circiter LX. Lauretanæ hiſtoriæ ſummam (depromptam ſcilicet ex ea, quæ olim, vt ſupra oſtendimus, Recineti edita fuerat) in Lauretana Aede propoſuit in gratiam peregrinorum: vt eius cognoſcendæ poteſtas omnibus foret. *Hier. Ang.*
Et ſcripta eſt ſtylo rudi, ac ſimplici, atque ad vulgi intelligentiam accommodato: gratum aduenis non illiteratis pabulum, nec leue Lauretanæ Domus monumentum. Porro hoc Teremani inſtitutum adeo probatum eſt poſteris, vt ſcriptum illud quoties vetuſtate obſoletum videretur, toties deinceps inſtaurari placuerit. Sane & hiſtoria ipſa à prima Recinetenſium memoria repetita eſt; & eius authoritati religio, ac diligentia Teremani, vel plurimum adiecit. Is quippe interrogatis, qui adhuc ſupererant teſtibus, tantam rem quoad eius fieri poſſet, voluit eſſe teſtatam. Teſtes igitur ſatis locupletes ab illo citantur duo; Paulus Rinalducius, & Franciſcus cognomento Prior, ambo ciues Recinetenſes, viri boni, ſpectatæque fidei. Rinalducius quippe ſæpe Præpoſito Tereniano (vt ipſemet refert) teſtificatus eſt, ab ſe auum ſuum ſæpenumero auditum eſſe narrantem, ſe met B. Virginis Domũ conſpexiſſe, cum ſublimis ab Angelis ſupra mare ferretur, & in Recinetenſi ſylua collocaretur. Quin etiam ſe ſacroſanctam Aedem in nemore ſitam cum ciuibus alijs compluribus ſæpius acceſſiſſe. Franciſcus autem Prior, auum ſuum, CXX. annos natum, integriſque adhuc vtentem ſenſibus non ſemel audierat (vt ipſe pro teſtimonio dixit) cum referret, abſe frequenter ad ſacram Aedem in ſyluam cum alijs itum: eamque ſua memoria in Collem duorum fratrum eſſe translatam. Porrò Hieronymus Angelita perpetuus Recinetenſis ciuitatis Secretarius, in Hiſtoria Virginis Lauretanç author eſt, Paulum Rinalduciũ, & Franciſcum Priorem à Lauretanæ Eccleſiæ Rectore, eodemque *Præp. Tere.*

demque Antiſtite Recinetenſi, Præpoſito Teremano, etiã ſacramento adactos illa quæ Teremanus ipſe commemorat, pro teſtimonio dixiſſe. Ex quo ſatis apparet Præpoſitum Teremanum, cum teſtes huiuſce tanti miraculi, rite deinde interrogaret, Adminiſtratorem Recinetenſem, nõ ſolum Gubernatorem Domus Lauretanæ fuiſſe. Ac ne cuiquam Præpoſiti Teremani fides in dubium venire poſſet, Nicolaus Aſtius Recinetenſis Epiſcopus in tabulis donationis (cuius ante meminimus) haud obſcurum egregiæ eius fidei, ac religioni teſtimonium tribuit his verbis: *Conſiderans grata deuotionis, ſinceræque fidelitatis obſequia, & diligentiam valde grandem, qua viri venerabiles, & circumſpecti* D. *Petrus Georgij Præpoſitus Eccleſiæ S. Sinidei de Teramo gubernator almæ domus, nec non* D. *Antonius &c. Presbyteri reſidentes in alma Domo tam longo tempore ipſi Eccleſiæ in ſpiritualibus, & in rebus, ac negocijs ipſius Eccleſiæ, & almæ Domus temporalibus impenderunt, & adhuc cura vigili, & diligenti, ac ſolertibus ſtudijs, & ſollicitudinibus impendere, & impertire non deſinunt*, & quæ ſequuntur. Igitur talis viri ſpectata religio & authoritas magnam adiecit hiſtoriæ fidem. Ex eo autem tempore, ſiue reddita Pontifici ſanitas, ſiue fama benignitatis in pauperes aduenis, ſiue etiã Lauretanæ hiſtoriæ promulgatio B. Mariam Lauretanam apud omnes gentes claram, ac nobilem fecit.

FINIS LIBRI PRIMI.

HORA-

HORATII TVRSELLINI
E SOCIETATE IESV
LAVRETANAE HISTORIAE LIBER SECVNDVS.

PAVLVS II. PESTILENTIÆ EXEMptus Lauretanam Aedem decretis ornatam nouo templo decorare molitur.
Cap. I.

CELEBRIS, inclytæque iam hinc toto ferme orbe Chriſtiano Aedis Lauretanæ miracula, atque ornamenta exſequar, quorum fama omnium iam aures, animoſque compleuit. Poſt Pij Pontificis deceſſum, Cardinales Pium Anconam proſecuti, Romam ad comitia Pontificia iter intendunt. Atrox per id tempus ex tanta hominum colluuione, vt fieri ſolet, Anconæ orta peſtilentia erat, quæ intolerabili æſtu per autumnum humana corpora mouente, per vulgaria primum capita vagari cœpit. Inde nobilitatem quoque primoreſque corripuit. Ergo præſentis periculi terror profectionem Patrum, aut fugam potius maturauit, & ſi quendam eorum ne fuga quidem eripuit morbo, Lauretanæ gloriæ materiam futurum. Petrus erat Barbus Cardinalis S. Marci, ætate, prudentia, ac rerum vſu inter cæteros eminens. hic peſtilentia tactus, æſtuare animo cœpit, cũ fœda impendentis mortis facies oculis obuerſaretur. Sed *Hier. Ang.*

Pius

Card. s. Marci peſtilentia liberatur in Aede Lauret.

Pius II. Pontifex Lauretanæ opis recens erat documentum. Itaque valetudinis Pio diuinitus redditæ memor deferri ſe confeſtim ad templum Lauretanum iubet. Quò vt ventum eſt, eiectis arbitris, in Deiparæ cellam infertur, ibi venerabundus procumbere humi, omnem in B. Virgine ſecundum Deum ſuæ curationis ſpem reponere: vrgentis morbi, mortiſque impendentis remedium expoſcere: Rempublicam Pontifice orbam Deo, ac B. Virgini impenſius commendare. Nec fruſtra, precibus inſiſtenti lenis quidam, ac dulcis ſomnus obrepſit. Fama eſt illi in quiete Deiparam Virginem cæleſti quadam ſpecie oblatam, quæ bonum habere animum iuſſo, auditas eius preces nunciaret: mox diſcuſſum iri morbum: inſuper ipſum propediem Dei nutu Pontificem Maximum futurum. Haud vanum fuiſſe viſum docuit euentus. Extemplo cum ſomno morbus abijt: ipſe voti compos, animi, corporiſque vigorem omnium ſpe maturius recuperauit. Igitur admodum lætus multiplex Dei, Deiparæque beneficium agnoſcit: & gratijs vtrique impenſe actis, ſoſpes ac vegetus exit è ſacroſancto ſacello, cunctis qui eius morbi conſcij erant, attonitis, & ingenti admiratione defixis. At ille B. Mariæ promiſſo ad ſummi ſacerdotij ſpem erectus, & ſimul accepti beneficij ſatis memor, Lauretanæ Aedis Præſidem protinus acceſſi iubet. Huic propalam enunciat, ſibi eſſe in animo magnificentiſſimum S. Mariæ Lauretanæ templum condere. Proinde primo quoque tempore calcis, cæmentorum, materiæ, quod ſatis ſit, comparet ſuo nomine, ſumptuque. Inde Romam ad comitia profectus, Pontifex creatur. Pauli Secundi inditum nomen. Vix dum Pontificatu inito, haud immemor cuius ope, & valetudinem, & ſummum illud faſtigium adeptus eſſet, Lauretanum templum moliri inſtituit. Ac præſagiente iam animo futuram olim amplitudinem eius loci, veteri templo diſturbato, ingentem circa aream inſanis occupat fundamentis. Inde opus cœptum ſtrenue ædificare pergit. Bonam templi

Paul. II. templum Aedi Laur. circũdat.

Lau-

Lauretani partem à Paulo II. exſtructam eſſe, fidem facit Baptiſta Mantuanus. Apud quem in Agelariorum carmine, Antonium Principem virum præter Piceni orā nauigantem, ſic gubernator nauis affatur: Bapt. Mant. lib. 6.

Quod cernis Picentia iuxta
Littora, delubrum eſt illud venerabile Magnæ
Matris, ab Aſſyrijs, quod Dij ſuper æquora quondam
Huc manibus vexere ſuis.

Et paulopoſt:

Laureta delubra vocant; neu crede ſuperbam
Hanc ædem veniſſe fretis; ſuperaddidit iſta
Templa ſacerdotum Princeps ingentia Paulus.

Ex quo profectò coniectari licet, Lauretanum templum ab eo pene ad faſtigium eſſe perductum. Inter hæc, dum templum ſumma ope exſtruitur, Pontifex non ædificijs ſolum, ſed litteris quoque, ac muneribus Pontificijs Deiparæ Domum adornauit. Nam viſentibus Aedem Lauretanam diebus omnibus B. Mariæ ſacris, ac præterea Dominicis diebus, peccatorum omnium veniam indulſit. Pauli II. Indulg. Pretium operæ viſum eſt caput litterarum inſerere, vt extet egregium ſummi Pontificis de eximia Lauretanæ Domus ſanctitate teſtimonium, idemque recuperatæ ab eo diuinitus valetudinis monumentum. Pauli II. teſtimonium. Pauca igitur, veteri Rom. Pontificum more præfatus, ita ſcribit. *Quamuis pro magnitudine gratiarum, quas diuina Maieſtas ad interceſſionem glorioſæ Virginis Mariæ filij eius genitricis, fidelibus ad eam pia vota dirigentibus quotidie facit: ſanctaque Eccleſiæ in honorem nominis ſui dedicatæ ſint ſumma deuotione venerandæ; id tamen erga illas propenſius eſt agendum, in quibus Altiſsimus ad interceſsionem eiuſdem Virginis, maiora, & euidentiora miracula frequentius operatur: Manifeſtat autem rei experientia ad Eccleſiam S. Mariæ de Laureto Recanatenſis Diœceſis, vbi eſt imago B. Virginis Mariæ, ob magna, ſtupenda, & infinita miracula, quæ ibidem eiuſdem Almæ Virginis opera apparent,* ET NOS IN PERSONA NO-

Pauli II. beneficia. STRA EXPERTI SVMVS, *ex diuerſis mundi partibus confluere*, & quæ ſequuntur. Indulgentijs porrò ſingulares immunitates adiecit. Quippe Lauretanam Aedem vna cum miniſtris, cæteriſque rebus ad eam pertinentibus ab Recinetenſis Epiſcopi iuriſdictione exemptam in ſuam, ſediſque Apoſtolicæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli tutelam recepit: Sacerdotibus Lauretanis abſoluendi peregrinos à ſceleribus ac flagitijs Epiſcopo, Sedique Apoſtolicæ reſeruatis ſatis amplam dedit facultatem. Poſterioris quoque huius decreti procemium, in quo perhonorifica fit mentio Lauretanæ Domus, libet apponere, id eſt tale: *Cum ad Eccleſiam B. Mariæ de Laureto extra muros Recanatenſis ciuitatis fundatam, in qua ſicut fide dignorum habet aſſertio, ipſius Virginis glorioſæ Domus, & Imago Angelico comitatu, & cætu mira Dei clementia collocata exiſtit, & ad quam propter crebra, ac ſtupenda miracula, quæ eiuſdem glorioſæ Virginis meritis, & interceſsione pro ſingulis ad eam recurrentibus, & eius auxilium implorantibus cum humilitate, Altiſsimus operatur, in dies, & in diuerſis mundi partibus etiam remotiſsimis eiuſdem Virginis glorioſæ liberati præſidijs populi confluat multitudo*; & cætera quæ ſequuntur.

Aedes Lauret. exempta.

Pauli II. teſtimon. alterum.

Iacobus Franciſcanus ab inſanabali morbo, & Dæmonum oppugnatione liberatur.
Cap. II.

PRoduntur autem quædam huius temporis non omittenda miracula. Iacobus Picens vir ſanctus è Franciſcana diſciplina, pariter pietate, ac doctrina clarus Euãgelii præco fuit anno eius ſeculi circiter LXX. Hunc inſanabilis morbus inuaſerat, & animum ægritudo corporis vrgebat: quippe ea mali vis erat, vt omnem iuuandi ſacris concionibus homines ſpem præcideret. Ergo humani remedii inops ad Deum Deiparamque animum, ac

Chro. Franc. lib. 6. c. 3. & 4.

vota

vota vertit. Mox quamuis afflicta valetudine, Lauretum peregrinatorum ritu venit. Virginis cellam ingreſſus inter ſacrificandum, cœli Reginam enixe obortis lacrymis orat, vt Ieſu filio propitiato, impetret ſibi corporis ſanitatem; quæ ſanctum eius Euangelium prædicando, multis fortaſſe populis ſaluti foret. Nec mora. oblata illi protinus eſt Deiparæ ſpecies iubentis eum alia ab ſe petere: Nam quod peteret, eſſe iam datum. & Iacobus illico ſalutem ſibi redditã ſentit. Itaque gratiis B. Virgini actis, non tam ſuam, quam eorum, quorum ſaluti ſtudebat vicem lætus, remeat domum. Nec vna hac in re B. Mariæ Lauretanæ is expertus eſt opem. Interiectis aliquot annis, ab importunis diabolis diu, multũque vexatus Lauretum certiſſimum malorum leuamentum, accurrit. Ante aram Virginis non ſine animi angore, ſacris operatus, expertum eius auxilium expoſcit: finemque tandem orat tam moleſto periculoſoque certamini. Auditæ preces. Impenſius oranti B. Maria ſe rurſus oſtendit. Et bono animo eſto fili, inquit, ac ſummo rerum parenti grates agito. Adeſt pugnæ finis, & te cœleſtis corona victorem manet. Prædictionem comprobauit euentus. Haud ita multo poſt fractę infeſtorum hoſtium vires: Læta repente ſecuta pax: ipſe deinde cœleſti præmio donandus euocatus in cælum.

A Xyſto Quarto Pont. vetera decreta cumulantur nouis. Cap. III.

NEc Paulo Secundo Xyſtus Quartus Pauli ſucceſſor ſtudio ornandæ Lauretanæ Virginis ceſſit. Nam & veteribus Indulgentiis addidit nouas, & Pauli immunitates ſua authoritate firmatas, adiecta immunitate decumarum, auctiſque Lauretanis ſacerdotibus facultate diſpenſandi vota, cumulauit. Donationem inſuper Nico- *Hier. Ang. Bern. Cyril.*

lai Aſtii Epiſcopi Recinetenſis (de qua ante diximus) authoritate Apoſtolica ſanxit anno eius ſeculi circiter lxxv. qui Iubilæi celebritate inſignis fuit. Egregium porrò ſuũ erga B. Virginem Lauretanam ſtudium, pietatemque in cuiuſdam diplomatis ſui procemio teſtatum reliquit his verbis: *Cupientes, vt ipſa Eccleſia Lauretana, ad quam ſpecialem gerimus deuotionis affectum, congruis honoribus frequentetur: & vt fideles populi libentius, eo deuotionis cauſa confugiant, confirmamus*: & quæ ſequuntur. Nec nihil vel ad Xyſti laudem, vel ad Lauretanæ Domus authoritatem facit, quod idem Pontifex, cum Carmelitani certiſsimis argumentis fidem ei feciſſent, ſacra omnia Paleſtinæ loca (atque in his ipſum domicilium Virginis) priuſquam Saracænorum armis occuparentur, Carmelitanæ familiæ credita & commiſſa fuiſſe; hoc ipſum litteris Apoſtolicis in eorum gratiam ſcriptis teſtatus eſt. Quæ cauſa fuit cur deinde Carmelitanis ſacroſanctæ Domus ſit procuratio reddita, vt dicturi ſumus in loco. Ad hęc Xyſtus Hieronymo Robureo ſororis filio Cardinali cum Epiſcopatu Recinetenſi tutelam permiſit Aedis Lauretanæ, haud paruo ipſius Aedis bono. Quippe & auunculi inſtinctu, & ſua voluntate templum à Paulo inchoatum exædificauit: eiuſque cultum ſacra ſupellectili, lectiſſimis Sacerdotibus, Cantoribuſque adauxit.

Hiero. Robur. Card. patronus Lau. Aedis.

Ingens Turcarum manus Lauretanæ opulentiæ imminens diuinitus fugatur.
Cap. IV.

SVb idẽ tempus ingens procella exorta, & opulentiam & religionem Lauretanę Aedis oſtendit. Mahometes Turcarum Imperator Rhodo Inſula nequicquam oppugnata, vnum è ſuis Ducibus cum claſſe in Italiam deſtinauit. Is igitur anno eius ſeculi circiter LXX. ex improuiſo

Hier. Ang.

prouiſo Hydruntum oppidum nobile in Salentinis, velut clauſtra Italiæ occupauit. Exin finitima circum loca populatus, cęteræ orę maritimę Adriatici ſinus imminebat. Ergo Recinetenſes, & ſi impendentis periculi fama conterriti; tamen immemores patriæ Lauretanam Domum ſummis opibus propugnare ſtatuerũt. Valido igitur præſidio impoſito, excubias agitabant dies noctesque. Ac ne barbaros opulentæ prædæ ſpes ad Lauretanam Aedem oppugnandam alliceret; Lauretana dona præcipua in tutum recipi placuit. Mox deprompta, ac de more relata in tabulas, à certis hominibus Recinetum deferuntur, & in arce conduntur. Satis conſtat ea dona tum ſex ferme aureorum millibus æſtimata. Inter cætera Laurentij Medicei (is Petri filius, Magni Coſmi nepos fuit) ſtatua argentea, quæ nixa genibus altitudinem excedebat cubitalem. Compendiaria fortaſſe ſimulacri eius inſcriptio (in qua erat Laurentius P. F. Medices) Angelitam decepit, vt Laurentium per Franciſcum interpretaretur, quod ſignificabat Petri filium. Credo equidem Laurentium cũ Xyſti Pontificis, ſociorumque armis premeretur adeo, vt ad ipſum Ferdinandum Neapolitanum Regem, acerbiſſimum hoſtem ſuum confugere cogeretur, donum eiuſmodi vouiſſe: bello deinde periculoque defunctum Lauretanæ Virgini, vel tuliſſe, vel miſiſſe. Cæterum ſapiens Recinetenſium conſilium, ſubductumque periculo ſacrum aurum, argentumque haud quaquam barbaros à conando ſcelere auertit. Turcæ populabundi ad Caſtrum Portus Recinetenſis claſſe delati, omiſſa minorum prædarum cura, ad Lauretanam prædam, quam opulentiſſimam ſciebant eſſe, aſportatam alio neſciebant, iter intenduut. Tuebantur Lauretanam Aedem, vt diximus, Recinetenſes, leue aduerſus Barbarorum exercitum inſolentem victoria præſidium, niſi ipſa loci Præſes ſuæ domui præſidio foret. Itaque ad ſacræ Domus conſpectum, ingens repẽte terror totam Turcarum peruaſit aciem cunctoſque è veſtigio inui-

inuictiſſimis animis referre coegit pedem, ſtupore attonitos, & Deum profecto pro illa Aede ſtare memorantes. Nec tamen illis ſacrilegus conatus impune fuit. Superbiſſimus Tyrannus haud ita multo poſt, ſubita morte extinctus: Hydruntum à Chriſtianis receptum: Turcæ Italia pulſi. Cæterum id ipſum periculum Cardinalem Robureum Laureti Patronum admonuit, vt Lauretanum templum deſtinatis propugnaculis primo quoque tempore communiret. Ex eo templum ipſum in arcis modum impenſe muniri cœptum aduerſus repentinos hoſtium incurſus.

Ab Innocentio VIII. donis colitur. Carmelitanorum curæ committitur. Cap. V.

XYſto ſublectus Innocentius Octauus, cuius Pontificatus quà vrbanis, ac domeſticis turbis exercitus, quà Neapolitano implicitus bello, nullam pene facultatem, opportunitatemue habuit bene de Lauretano templo merendi. Attamen huius laudis non penitus expers fuit. Innocentius quippe eximia pulchritudine auream bullam cum gentilitijs inſignibus donum miſit Lauretanę Virgini ſuſpendendam è collo, velut ſuæ erga illam religionis indicium. Pontificale inſuper amiculum (pluuiale appellant) ex holoſerico villoſo, auroque magnificis ſane ac præclaris floribus pictum, & opere Phrygio prætexto, margaritiſque conſpicuum. Ad hæc peripetaſmata intexta ex auro, ſericoque. Eodem Pontifice Card. Robureus, Lauretanæ Domus pariter, & Carmelitanæ familiæ Patronus, haud parum memor Carmelitanos patres nuper certis argumentis probaſſe Xyſto Quarto auunculo ſuo, ſacram Domum priuſquam è Galilæa diſcederet, Carmelitanorum commiſſam fuiſſe curæ; eoſdem ex authoritate

Cod. Laur.

Bapt. Mant.

Ponti-

Pontificis Lauretano præpoſuit templo. Hi iampridem à Barbaris ex Aſia pulſi Europam non magis cœnobijs, quam optimis exemplis impleuerant. cæterum laxatam paulatim diſciplinam nuper in Italia nouis adſtrinxerant legibus. Lecti xxx. ex eorum numero maximè ad eam rē idonei. Horum ex numero Baptiſta Mantuanus fuit Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis, qui Lauretanæ Domus ſcripſit hiſtoriam, & Robureo Cardinali dicauit eo ipſo anno, quo Lauretū venit, hoc eſt M. CCCC. vnde nonageſimo.

Baptiſtæ Mantuani teſtimonium. *Cap. VI.*

BAptiſta igitur Mantuanus Theologus idem, ac Poeta egregius initio ſuæ hiſtoriæ, egregium Aedi Lauretanæ tribuit teſtimonium, quod ab re non erit noſtræ hiſtoriæ intexere. *Cum nuper*, inquit, *veniſſem ad ſacratiſſimæ Virginis Mariæ ſanctum domicilium, vidiſſemque qualia, & quanta Deus oſtendit in eo loco miracula, & ſuæ virtutis, atque clementiæ ſigna manifeſtiſſima; me ſubito horror inuaſit, & viſus ſum audire vocem Domini loquentis ad Moſen: Non appropinques huc, ſolue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Inde præfatus legiſſe ſe in templo Lauretano tabulam parieti affixam, ſitu & carie corroſam, in qua vnde, & quonam pacto locus ille tātam ſibi vendicaſſet authoritatem, conſcripta erat hiſtoria, hæc inquam præfatus adiecit. *Hiſtoria igitur in tabella continebatur eiuſmodi, Templum B. Dei Genitricis Lauretanæ quondam ipſius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele ſalutata, & Spiritu ſancto fuit obumbrata.* Cætera inde perſequitur, quæ à Præpoſito Teremano memoriæ prodita, & in Lauretana Aede propoſita diximus: vt ex Teremani tabula eſſe deprompta ſatis appareat. Bapt. Mant. teſtimoniū.

pareat. Ad extremum auguſtiſſimæ huius Domus laudationem ingreſſus, eam non modo terreſtri paradiſo, vbi Eua ex Adæ latere effícta eſt: Monti Sinæo, vbi lex data: templo Salomonis præcipua numinis præſentia inclyto; Bethleemio antro, quę cunabula fuerunt Saluatoris: Tabori Monti, vbi Chriſtus clariſſima luce circumfuſus apparuit cum Moſe, & Helia colloquens: Monti Oliuarum, vnde Chriſtus triumphans aſcendit in cœlum; verum etiam auguſtiſsimo Chriſti ſepulchro, quo nihil in terris ſanctius habetur, longe multumque anteponit. præcipuè quod hic Deus humanitate indutus fundamenta iecerit ſalutis humanæ. Cuius laudationis illa eſt inſignis ſane, ac frugifera clauſula. *Sed quid plura de Domus huius ineffabili dignitate commemorare pergo? libet mihi Iacob Patriarchæ ſermone concludere. Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Ergo à Mantuano viro celeberrimo prodita litteris eſt Lauretana hiſtoria, quæ ad eum diem ſermonibus tantum vſurpabatur. Ex eo tempore vulgari cœpta, magno, vel Lauretanæ religionis incremento, vel mortalium bono. Namque ea, quam dico, hiſtoria breui volumine circumlata, cum auidè ac paſſim lectitaretur; plurimorum animos ad Lauretanam Aedem viſendam colendamque pellexit. Cæterum annus ille, non magis Mantuani hiſtoria, quam egregio nobiliſsimi Principis dono inſignis fuit. Quippe eodem ipſo anno M. CCCC. LXXXIX. Stephanus Bathorius Tranſyluaniæ Princeps (Vaiuodam ipſi appellant) argenteum B. Mariæ ſimulacrum ferè ſeſquicubitale, egregiè factũ, pulchrèque auro interlitum Lauretanæ Virgini donum miſit. Ad Virginis pedes Vaiuodæ ipſius armati effigies, item ex argento ſupplex viſitur. Votiuum eſſe donum cauſa baſi inſcripta declarat.

Vaiuodæ Tranſyl. D.

MAGNIF.

MAGNIF. D. COMES STEPHANVS DE BATHOR VAIVODA TRANSILVANVS. ET SICVLORVM COMES NECNON IVDEX CVRIÆ SERENISSIMI PRINCIPIS D. MATTHIÆ DEI GRATIA REGIS VNGAR. BOEM. &c.
IN HONOREM DEI
ET EIVS GENITRICIS MARIÆ
OB EAM CAVSAM. QVOD IPSE PER INTERCESSIONEM EIVSDEM VIRG. GLORIOSÆ A QVODAM MAXIMO PERICVLO LIBERATVS FVIT.
AN. M. CCCC. LXXXVIIII.
DICAVIT.

Nobilis mulier è Gallia à ſeptem diabolis obſeſſa liberatur. Cap. VII.

IDem porrò annus inſigni miraculo memorabilis perhibetur. Petrus cognomento Orgentorix ciuis Gratianopolitanus fuit genere, atque opibus clarus. Huius vxor Antonia nomine pari nobilitate mulier à ſeptem teterrimis diabolis obſeſſa tenebatur. Petrus igitur liberandæ cuniugi intentus, cum nihil in Gallia inexpertum reliquiſſet, eam adduxit in Italiam. Ac primo Mediolani ad S. Iulij, inde Mutinæ ad S. Geminiani, denique Romæ ad ſacram columnam ſolemnes exorciſmi, nequicquã adhibiti, Deo liberatæ mulieris decus Lauretanæ Virgini reſeruante. Iamque Orgentorix conſilij auxilijque inops in patriam deſperata re, cogitabat; cum in Rhodium equitem incidit ſibi notum, & Lauretanæ Virginis ſatis gnarum. Huius ſuaſu, fiduciæ plenus venit cum vxore Lauretum anno eius ſęculi LXXXIX. Quo vt ventum eſt, mulier ſumma vi obluctans à decem robuſtis viris alleuatur, & in ſanctiſsimam cellam delata ante B. Mariæ effigiem ſiſtitur. Stephanus Francigena Canonicus Au- *Bapt. Man. Hier. Ang.*

 ximanus,

ximanus erat tum cuſtos ſacroſancti ſacelli, vir probitatis ac virtutis expertæ, qui vexatores diabolos exorciſmis de more vrgere cœpit. Illi iubente Stephano nomina ſua profeſſi, exire obſtinate recuſabant. Sed vicit dæmonum obſtinationem conſtantia ſacerdotis, & ſcilicet diuina vis. Itaque eorum quatuor Dei numine, & Deiparæ nomine, alius poſt alium exacti, ingentibus ædem clamoribus impleuere. Tres erant reliqui pertinaciores cæteris. Hos igitur Stephanus maiore vi adortus, & Mariæ nomen inclamans premere inſtitit. Haud ita multo poſt quintus (Heroth nomen erat) malis feſſus exceſsit ſigno dato. Stephanumque compellans ait: Maria nos eijcit, non tu. Inde ſextus (cui nomen Horribilis) erumpens vociferatur queribundus. Maria, Maria nimium in nos ſæuis. Cęteris eiectis, poſtremus nomine Arcto ante omnes alios pertinax lamentari magno gemitu, eiulatuque cœpit. Nimis potens es Maria, vtique in hoc loco, vbi nos ex noſtra poſſeſsione exigis inuitiſsimos. Illata cum honore eius loci mentio ſciſcitandi cupidinem Stephano iniecit. Ergo mendaci ad verum extorquendum, ſedulo inſtandum ratus, percontari, quis tandem ille eſſet locus: in eoque perſtans Dei, ac Deiparæ nomine imperare, vt verum eloqueretur. Nec fruſtra. Arctus exorciſmorum vi ſubactus tandem profitetur, illud eſſe Deiparæ cubiculum, vbi Deum Gabrielis nuncio conceperit: & ſimul adiungit, ſe diuinitus ſubigi, verum in præſentia edicere. Tum vero Stephanum cupido inceſsit cognoſcendi, vbi Angelus ſtetiſſet ſalutans Virginem; vbi Virgo cum ſalutaretur, oraret. Igitur, vt ex mendacij patre verum exſculperet, ſolemnibus exorciſmis ſubigere inſtitit, vtrumque vt locum demonſtraret ſedulo. Ille demum diuina vi coactus enunciauit, Virginem quidem in cellæ angulo vltra cornu Euangelij ad dextram ſacroſancti camini (vbi nunc eſt ſcabellum aptum genibus flectendis) Deo ſupplicantem à Gabriele ſalutatam: ipſum vero Angelum ex

Energumena liberatur

diame-

diametro in aduerſo angulo ad feneſtræ dextram ſubſtitiſſe; vt facile appareat ab Angelo, Virginis reuerentia, quam remotiſsimum locum intra cellæ parietes eſſe quæſitum. Arctus ergo hiſce rebus enunciatis, tandem ex corpore obſeſſæ mulieris excuſſus, eam reliquit exanimem. At illa haud multo poſt ex pauimento, vbi proſtrata iacuerat, redeunte animo ſurgit: ſimul cum viro ingentes Lauretanæ Virgini grates agit, vota perſoluit. Haud facile res alia huius generis nobilior, teſtatiorque. Interfuerunt plerique primorum Recinetenſis ciuitatis, in quibus Ioannes Franciſcus Angelita pater eius, qui Lauretanæ Virginis hiſtoriam texuit. Interfuit Antonius Bonfinis Aſculanus, is qui Vngarici Regni Decadas ſcripſit. Itemque Io. Baptiſta Mantuanus, vt ipſemet in Lauretana hiſtoria profitetur. Qui ad ea quæ diximus hoc addit: Arctum illum rite exorciſmis ſubactum, hoc quoque inter cætera indicaſſe, ſacram Virginis cellam, antequam Nazaretho excederet, Carmelitanorum curæ commiſſam fuiſſe. Quæ quamuis mendacis Diaboli indicio enunciata, tamen quia veracis, ac præpotentis Dei vi, ac nomine ſunt extorta; haud pro vanis habenda: præſertim cum veri ſimilia ſint, & Chriſtianæ religionis augeant cultum.

Recinetenſis ciuitatis donum ob depulſam peſtilentiam. Carmelitanorumque diſceſſus. Cap. VIII.

ALexander inde VI. Innocentio VIII. ſucceſsit, cuius Pontificatus flagrante inteſtinis, exteriſque bellis Italia, haud pacatior quàm Innocentij, quanquam Iubilei celebritate, quæ in annum milleſimum quingenteſimum incidit, inſignior fuit. Ea tempeſtate atrox Recineti graſſabatur lues, quæ contagione vulgata ciuium pluribus abſumptis, grauiorem in dies minitabatur ciui- *Hier. Ang.*

tati cladem. Igitur à Magiſtratibus de primorum conſilio, indicitur ad Lauretanam Aedem ſupplicatio: votum publicè nuncupatur. Nec ſpes preceſue in irritum cecidere. Extemplo votiua ſupplicatione, veluti diuina manu peſtilentia abſterſa: Ciuitas periculo exempta. Ergo Recinetenſes voti rei pro domeſticis quiſque copijs, magnam pecuniæ vim in votiuum conferunt munus. Decretaque ſupplicatione, coronam auream gemmis diſtinctam clariſſimis Lauretanæ Virgini donum ferunt, anno eius ſeculi XCVI. Corona B. Virgini impoſita, & ſimul à Robureo Cardinale impetratum eſt, vt ea nunquam remoueretur: Cardinaliſque beneficium Iulij Secundi, & aliorum deinde Pontificum authoritate firmatum. Et valuit apud finitimos populos gratæ pietatis exemplum. Hinc ille mos increbuit, qui hodieque viget, vt Piceni vrbes, & oppida quotannis inſigni ſupplicatione ac pompa coronam Lauretanæ afferant Virgini. Haud ita multo poſt Hieronymus Robureus Cardinalis ſanctiſsimæ cellæ pauimentum, qua ſupplicantium genibus attritum, qua auellentium manibus effoſum (quippe auulſa inde ſaxa, ſericoque inuoluta pro reliquijs auferebantur) quadrato marmore diſcolori pulcherrimè ſtrauit. Opus ſcutulatum eſt egregium, & vel in tanta, quanta nunc Lauretanum ſacellum eſt, magnificentia viſendum. Porrò circa veſtibulum templi magnificentiſsimas ædes à Bramante architecto illa tempeſtate inclyto deſcriptas Robureus moliri cœpit, annuente Pontifice. Ciſternam quoque ingenti amplitudine in medio templi atrio exſtruxit ornauitque, ne quando oppidanis aduenisue deeſſet aqua. Cæterum incolarum, & peregrinorum commodis conſulenti veteres Lauretani templi curatores inſtaurandi fuerunt. Cœli grauitas, quæ tum erat Laureti ex circumiectis nemoribus lacuniſque, Carmelitanorum Patrum complures abſumpſerat. Itaque Petri Taruiſini Vicarij Generalis iuſſu, relicta Lauretanæ baſilicæ procuratione,

Ciuitatis Recinet. donum.

nono anno, quam venerant, ad ſalubriora migrarunt loca. Horum in locum pij aliquot Sacerdotes, ſed mercenarij à Cardinali Patrono ſubſtituti, qui ad Leonis Decimi Pontificatum durarunt, qua tempeſtate res tandem ad Canonicos venit.

Iulij II. decreta, nouique templi molitio, & nobilium hominum dona. Cap. IX.

EXcempto rebus humanis Alexandro Sexto, Pius Tertius ſublectus Pontifex bonus, ſed breuis adeo, vt vix tertiam hebdomadam exceſſerit. Pio Iulius Secundus ſubrogatus, religione erga Lauretanam Virginem nulli Pontificum ſecundus. Is quippe anno quarto Pontificatus ſui, ſiue Xyſti Quarti patrui exemplo, ſiue quod in Pontificia ditione armis recipienda, imploratam Lauretanæ Virginis ſenſiſſet opem, Lauretanam Aedem ſumma ope ornare cœpit. Omnium primum, rem ad augendam loci religionem efficaciſſimam, veterem Aedis famã Pontificia authoritate altius in mortalium pectoribus defigendum ratus eſt. Itaque in primi diplomatis ſui procemio, Vrbani VI. Bonifacij IX. Martini V. Maximorum Pontificum decreta Aedi Lauretanæ perhonorifica perſtringit. Hinc Lauretanæ Domus primordia exſequens cubiculum eſſe ait (vt piè creditur, & fama eſt) B. Mariæ, vbi illa concepta, vbi educata, vbi ab Angelo ſalutata Chriſtum conceperit alueritque. Hanc deinde ædem ab Apoſtolis conſecratam, ac diuinitus primum è Nazaretho, exinde è ſylua latrocinijs infeſta in collem duorum fratrum; hinc ob fraternas rixas in eum, vbi nunc ſita eſt, collem demigraſſe. Deinceps præfatus, ſe non minore ſtudio teneri Lauretanæ Domus ornandæ, quam Paulum Secundum, aut Xyſtum Quartum, quorum præclara in eam extarent beneficia; confirmat illorum munera, immunita-

Iulij II. Bulla, & teſtimonium.

Iulij II. beneficia. munitateſque. Lauretanam inſuper Aedem, denuo in tutelam Pontificis receptam Pontificium ſacellum appellat, ſacra inibi officia ſolemni ritu ſimiliter, vt Romæ in ſacello Pontificis, peragi iubens. Porrò Lauretani templi miniſtris omnibus indulſit, vt Pontificij familiares, & cõuictores eſſent eo iure, quo qui optimo. Ad hæc Prætorem Laureto præſidere iuſſit à Pontifice diligendum, cui etiam miſtum dedit imperium. Ex quo tempore oppidum Lauretum exemptum. Lauretum Recinetenſium ditioni exemptum ſui iuris eſſe cœpit. Annonam quoque & alia venalia Lauretum deferentes omni portorio, ac vectigali immunes eſſe voluit. Interdixit etiam ne quiſquam dona, ſeu pecunias B. Mariæ Lauretanæ oblatas auerteret, cum excommunicationis latæ ſententiæ minis. Per id quippe tempus plurimis non pecunijs ſolum, ſed etiam muneribus ſacram Aedem Georgij Monachi D. auctam reperio. Georgius Monachus Patauinus B. Virginis Lauretanæ effigiẽ ex argento expreſſam, pondo librarum quinque, donum attulit. Card. Tranenſis D. Cardinalis Tranenſis alteram eiuſdem formæ ac materiæ effigiem, ſed ponderis duplo maioris. alij alia, quæ exſequi operæ non eſt.

Paralytica nobilis mulier ſanatur. *Cap. X.*

FVit hoc ipſum tempus etiam miraculis inſigne. illud autem præcipuum, quod incidit in annũ M. D. VIII. Bern. Cyril. Longus quidam Neapoli fuit vnus è Conſiliariis Regiis, clarus in paucis. Huius coniux femina primaria (ex viri cognomine Longa dicebatur) omnibus capta membris, acerbiſsimis inſuper diſcruciata doloribus miſerrimã trahebat vitam, morti quam vitæ ſimiliorem. Itaque ad vltimum damnata ope medicorum, exorat virum, vt Lauretum deferri ipſam iubeat. Quò vt peruentum eſt, generũ ſuum itineris comitem rogat, certum vt ſacrum in augu-

ſtiſſima

ſtiſſimæ Virginis cella faciendum curet ſuis rationibus accommodatum: nimirum cuius initium eſt: *Repleatur os meum laude*, in quo ſanati à Chriſto Paralytici Euangeliũ recitatur. Id ſacrum ſextæ feriæ à Pentecoſte aſſignatum, vtique alienum ab eo tempore erat, cum iam pridem is abiiſſet dies; ſed Longa votiuum id ſacrum expetebat. Vix hoc planè genero mandauerat, cum ipſa eodem genero proſequente, in ſacroſanctam defertur Aedem, ac B. Virgini ſiſtitur, haud dubia ſpe Deiparæ preces ſalubres ſibi futuras. Ecce tibi prius quam gener ſocrus ſuæ mandata exſequi poſſet, ad aram accedit ſacerdos ignotus: qui rem diuinam ab illo ipſo introitu: *Repleatur os meum laude*, orſus, Longam ingenti admiratione perculit. Igitur ſtupore attonita paulisper hæſit. Inde verſa ad generum, qui non dum ab ea, ſacri curandi cauſa, diſceſſerat, ſed iam diſcedere parabat, Mane,inquit,nihil attinet te ire: hoc ipſum eſt ſacrum, quod requirebam. Porrò vt ad illum Euangelii locum ventum eſt, *ait Paralytico: Tibi dico ſurge.* mira res dictu, viſuque.paralytica mulier repente diuina quadam vi, ſimul membra conſolidari, ſimul mentem inſolita dulcedine perfundi ſentit. Extemplo igitur gratulabunda exſurgit è ſella, cæteris rei nouitate, ac ſtupore attonitis: manantibuſque gaudio lacrymis,nullum facit agendi grates B. Virgini modum. Ad vltimum re diuina peracta,ſuis ipſa pedibus ad hoſpitium tendit, cunctis vtique eius familiaribus tantæ rei miraculo ſtupentibus. Aderat tum forte Laureti Dux Termalēſis cum delecta equitum manu, qui a Iulio II. in Galliam Ciſalpinam ad bellum euocabatur. Hic igitur (vt qui Longam, eiuſque inſanabilem morbum familiariter norat) vbi ſuis ingredientem pedibus eam vidit; hæſit ſcilicet rei nouitate obſtupefactus. euidenti deinde miraculo motus, diuinas cum illa laudes miſcuit. Noua exinde res auxit miraculi fidem. Sacerdos ille, qui Longæ rem diuinam fecerat, diu multumque requiſitus nuſquam comparuit;

paruit;

paruit; diuinitus miſſum crederes, vt diuini operis miniſter foret. At Longa voti compos Neapolim regreſſa, valetudinem diuinitus receptam Deo conſecrandam exiſtimauit. Proinde ſacrarum Virginum cœnobium Neapoli inſtituit: ipſa ægrorum inſanabilium miniſterio ſe ſe deuouit, Raimundo Cardona Prorege Neapolitano.

Iulius II. Lauretanum templum abſoluit, munitque. Cap. XI.

IVlius porrò alia multa beneficia, quæ longo explicata diplomate operæ pretium non eſt referre, ſuperioribus adiecit. Aucta hiſce immunitatibus Aede Lauretana, ad eius munimentum cura Pontificis verſa. Igitur haud minore animo pacis opera aggreſſus, quam quanta mole gerebat bella, Lauretanum templum à Paulo Secundo inchoatum, cuius abſolutio varijs caſibus turbata fuerat, nō exſtruere ſolum, ſed etiā permunire parat. Videbat quippe ædem non minus ſanctimoniæ, quam opulentiæ fama inclytam in vico immunito expoſitam, ſeu militum, ſeu barbarorum auaritiæ fore. Bramantis ergo nobilis architecti conſilio atque opera vſus, per Hieronymum Robureum Laureti Patronum rem vrgere cœpit. Et Hieronymus Lauretanam Aedem omni ope ornare, munus ac decus Robureæ familiæ ratus, baſilicam in arcis modum exſtruxit muniuitque. Quippe ſacella ipſa propugnaculorum inſtar aſſurgunt. additæ vndique in ſummis muris pinnæ, aditusque ſub tecto, vt ad propugnandum quoquo verſus tuto diſcurrere miles poſſit. Omnino eminus intuēti arcis potius, quam ædis ſpeciem præbet. Et adiuuat tēpli munitionem collis, cuius in vertice ſita eminet, præſertim quà vergit ad mare. Baſilicæ corpus ex pilis ingentibus columnarum inſtar duodecim conſtat, quarū vtrinque ſenæ concameratum tectum ſuſtinent. Huic corpori duæ

ri duæ velut alæ, hinc atque hinc adiectæ, cum ſenis ſacellis minoribus, quæ intercolumnijs vtrinque reſpondent. Alia porrò maiora circa templi caput ſacella diſpoſita numero ſeptem: his interiecta ſacraria quatuor, quibus fere Lauretana conduntur dona. Sub tholo, quod eſt velut baſilicæ caput, ſacroſancta B. Virginis cella, præcipuam obtinet ſedem, & vndequaque aſpectabilem; multis circa, vt diximus, ſacellis maioribus, admirabili artificio excitatis.

Iulius II. à bombardæ ictu protectus Lauretanam Aedem donis colit. Cap. XII.

INter hæc euidenti miraculo nouus Pontifici iniectus eſt ardor Lauretanæ Virginis honeſtandæ. Bononiam pergens ad comprimendos Bentiuolorum motus, Lauretum venit: & ipſo natali B. Virginis die in natali eius cella ſacrum fecit. ſub ſacrum ſolemni pompa in ſuggeſtum ad id fabricatum aſcendit. Hinc populo, qui ad Pontificis aduentum maior ſolito confluxerat, bene precatus, ampliſſimam delictorum Indulgentiã largitur omnibus Lauretanam Aedem eo die ritè viſentibus. Sunt qui ſcribant, Iulium eo tempore vota B. Virgini nuncupaſſe, pio iuſtoque bello Tyrannos perſequi molientem. Certe id, & belli euentus, & Pontificis ob partam victoriam dona teſtantur. Iulius igitur Bononiam profectus, expulſis Bentiuolis, vrbem pacauit. Inde Fauentia, Foroliuio, Rauenna, aliiſque Pontificiæ ditionis vrbibus, oppidiſque vi receptis, cum Mirandulæ obſidio Ducum incuria traheretur; ipſemet Pontifex nouo exemplo pergit in caſtra, Duces militeſque ſua præſentia excitaturus. Ibi dum belli conſilia cum Cardinalibus agitat ſub tentorio; manifeſtum periculum diuina vtique euaſit ope. Quippe globus ferreus inſtar humani capitis, repente ab hoſtibus æneo tormento

Diarium Iul. II.

Viciar. l.9. Onufr. in Iul. II.

Viciar. l.9. Tradit. Lau.

prægrandi excuſſus, deiecto Prætorio, nihil omnino Pontificem ipſum, aut quemquam eorum, qui Pontifici in conſilio aderant, læſit. Id enimuero Pontifex B. Mariæ Lauretanæ debere ſe profeſſus eſt; ſiue quod ad bellum iturus, ei vota fecerat, ſeu quod ad primum bombardæ fragorem Lauretanam Virginem inclamarat. Ergo Mirandulæ expugnatione, alijſque victorijs clarus Lauretum pergit ad vota reddenda. Gratijs Deo Deiparæque impenſe actis, globum illum in ſacroſancto ſacello ſuſpendi iubet, monumentum poſteris, quanta peſtis eſſet ab ſuo capite, Lauretanæ Virginis præſidio depulſa. Suſpenſus eſt globus è pariete ab latere ſiniſtro aræ, quod vulgo cornu epiſtolæ vocatur: vbi nunc quoque monſtratur viſiturque. Inde Pōtifex, vt gratus non tantum pius in Virginem foret, Lauretanam baſilicam decorare impenſius cœpit. Namque aram maximam ſacra ſupellectili augendam ratus, egregium aræ amiculum ex veſte Attalica criſpante, argenteā crucem pondo librarum quadraginta illuſam auro, & antiquo opere cælatam: Bina item ſeſquicubitalia candelabra eiuſdem materiæ atque operis, pondo xxvj. ab vrbe miſit. Et exſtat in turbinata crucis baſi titulus, haud obſcurum indicium partæ à Pontifice, Deiparæ Virginis ope, victoriæ:

Iulij II. D. *Hier.. Ang. Bern. Cyril.* Cod. *Lau.*

IVLIVS II. PONT. MAX.
DEIP. VIRGINI LAVRETANÆ DICAVIT
ANNO M. D. X.
IN HOC SIGNO VINCES.

Neque his contentus Iulius binos inſuper aræ ornatus, (frontalia vocamus) ex holoſerico villoſo cæruleo, inſignes auro, margaritis, & opere Phrygio addidit. Altarium ornatui ornatum miniſtrorum adiecit, mitram egregio opere, aliaque Pontificalia ornamenta, quibus videlicet, vel Pontifices, vel Epiſcopi ſacris operantes vterentur. Super hæc conchyliata periſtromata exornandis

templi

templi parietibus, aliaque compiura dona Lauretanæ Virgini dedit dicauitque.

Septennis puella à B. Virgine ipſa Lauretum adducitur. Cap. XIII.

EOdem fere tempore B. Virgo Lauretana, & Pontificem in bello texit, & inopẽ puellam in pace inuſitato miraculo ſibi adiunxit. Sabino cuidã, ex pago haud ignobili agri Piceni (Rocham Contradam vocant) filia erat ſeptennis nomine Alexandra, quæ haud longe à pago paternum paſcebat gregem. hæc dum oues paſcerentur, ſub arboribus venerabunda cœleſti numini ſupplicare conſuerat. itaque diuinitus nondum ſeptennium egreſſa dicauit ſe Deo. Quo magiſtro dum precibus inſtitit, Deiparam enixè colens; repente obtulit ſe illi cœleſti ſpecie Virgo (haud dubiè Dei mater fuit) quæ puellam manu præhenſam ſe ſequi iubet. Mira res dictu. triginta millia paſſuum ab eo loco, ipſamet cœlitum Regina paruam puellam ad Lauretanam deducit Aedem: & ingenti perfuſam gaudio ex ſuæ imaginis ac domus aſpectu, reducit ad paſcua. Ibi Alexandram, etiam ſi quæ tandẽ illa ædes, quæ Virgo eſſet ignoraret; tamen ingens eius loci, & ſpectaculi deſiderium tenebat. Ergo, vt guſtata ſemel Lauretanæ Domus dulcedo ſubibat animum, flens precibus vrgere, ac fatigare Sabinum patrem non deſinebat, vt ad ædem illam tot liminibus illuſtrem (neque enim aliter deſignare nouerat locum) ſe duceret, vbi pulcherrima illa Virgo habitaret. Eludebat filiæ poſtulatum pater, ſiue pueriliter delirare eam ratus, ſiue quem tandem locum illa deſcriberet, ignarus. Cæterum haud multo intermiſſo tempore, euenit vt Sabinus cum vniuerſa familia Lauretum pergeret. Tum vero Alexandra locum agnoſcens, geſtire, & exultare gaudio: ac verſa ad parentem, En pa-

Ann. Laur. *Raph. Rier.*

ter, inquit, hæc, hæc illa eſt Domus, quo me pulcherrima illa Virgo candida veſte amicta deduxerat. huc ego redire, hoc ſpectaculo iterum frui expetebam. Obſtupuit ad hæc pater, & eximiam puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, ſenſit eam B. Virgini eſſe cordi, vtique cum Dei mater illam ad ſe à primis annis inuſitata quadam ratione pelliceret. Igitur pietatem filiæ fouere non deſtitit. Remque omnem, nec ipſe tacuit, & Alexandra vbi adoleuit, pijs hominibus ſæpe narrauit, qui deinde alijs, ac mihi ipſi retulerunt. Incidit hoc miraculum in annum ſeculi huius VII. Nec fruſtra hæc fuerunt. Alexandra deinde hoc Tyrocinio imbuta virginitatem perpetuo coluit: vitamque ſanctiſsimè egit ad annum nonageſimũ, Lauretanam Virginem quotannis reuiſens. Tanta porrò fuit ſanctimoniæ fama, vt in oppido Montalbodo Virginũ cœnobio Antiſtita data ſit, vbi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit.

Circa veſtibulum Templi Lauretani ædes Pontificiæ à Iulio II. inchoantur, & ſacroſancti ſacelli cælatura deſtinatur.
Cap. XIV.

CAeterum intentus perficiundo, exornandoque templo Lauretano, augebatur ad impenſas Pontificis animus. Itaque ſacroſancto ſacello muris baſilicæ communito, munimentum Lauretano vico aduerſus hoſtium impetus, incurſioneſque addendum ratus eſt. Dudum Hieronymus Robureus Laureti Patronus, vel maxime memorabilis, qui id operis ſuſceperat, exceſſerat vita, vix apertis primis ædificij fundamentis. Proinde Iulius Pontifex præclara coepta exſequens, eodem Bramante (cuius ante mentionem fecimus) authore, Pontificias circa templum ædes ſanè ingentes, ac magnificas inchoauit, Prin-

cipum

cipum hoſpitio præcipuè deſtinatas. Quarum forma talis. Aedium ſinus (vbi eſt aditus impluuij) baſilicæ obuerſus eam duobus lateribus quaſi brachijs cingit. In quatuor angulis totidem prominent propugnacula. Tota moles quadrati caſtelli ſpeciem refert, templum habet pro arce. Eius hodie pars vix dimidia aſſiduo multorum annorum labore ſumptuque abſoluta. Nec vero dum Pontificias ædes exſtrueret Iulius, templum adornare deſtitit. Ad eius cultum cantorum chorus inſtitutus: organa muſica egregia, magnifico opere, auroque conſpicua: campanæ duæ eximiæ magnitudine, ac ſpecie fuſæ: turris campanariæ fundamenta iacta Iulij Secundi opera ſunt. Ita ornato templo, auguſtiſsimæ Virginis cellæ extrinſecus ornandæ, ſatis pretioſi marmoris comparat. Quod vtique opus fuiſſet operum eius maximum, niſi iam matura æuo mors coeptis eius interueniſſet, Deo tam inſignem laudem alteri reſeruante. Illud autem non poſtremo habendũ loco, quod huius generis vltimum mortaliũ eius operum fuit. Petrus Antonius Perottus Syluestrinorum Præpoſitus Generalis, D.Mariæ Lauretanæ ſtudio accenſus Abbatiam S.Laurentij Laureto proximam (ea eſt in agro Caſtri Ficardi) cum vniuerſis villis, ædibus, pratis, agris, oliuetis, ſyluis ad eam pertinentibus, Pontifice approbante, Lauretano conceſſerat templo, anno huius ſeculi XII. Iulius ergo paucis ante mortem diebus, Abbatiam illam Pontificali diplomate Lauretanæ attribuit Domui. Perottum ipſum Laureti Gubernatorem conſtituit, ratus (id quod erat) cui cordi fuiſſet Lauretanas fortunas augere, eidem conſeruare ac tueri auctas, cordi futurum.

Hier. Aug. Bern. Cyril.

Antonij Perotti D.

Aedes Lauretana à Reginis Neapolitanis aditur. Cap. XV.

LEo Decimus haud Pontificatu magis, quam inſtituto ſucceſſor Iulij, nihil potius habuit, quàm vt in Lau-

Riera in Annal. Laur.

retana

retana Aede amplificanda nemini cederet. Et huiuſce ſtudij ſui declarandi præclaram illi Deus materiam, inter primum Pontificatus rudimentum dedit. Per ea quippe tempora Lauretanæ Religionis, ac celebritatis fama Neapolim perlata duas Ioannas Aragonias, ſeniorē, & iuniorem (Reginas Neapolitanas, quia regia ſtirpe genitæ erant, vulgus appellabat) ad templum miraculis maximè inclytum viſendum accendit. Itaque magnifico ſane comitatu Neapolitani Regni interiora penetrātes, per Samnites in Picenum tranſeunt, ingenti populorum, quacumque tranſibant, gratulatione cultuque exceptæ. Quo tempore Leonis præcipuè magnificentia enituit. In omnibus Pontificiæ ditionis oppidis, quæ erant in via, Reginas regio apparatu excipi iuſſit, non tam illarum cultui, quam Lauretanæ Virginis celebritati fauens. Cumulatiſſimam inſuper delictorum veniam, & ipſis Reginis, & cæteris Lauretum ad illarum aduentum occurrentibus, eodemque die Lauretanam Aedem rite venerantibus impertiuit. Annus huius ſeculi quartus decimus Reginarum aduentu inſignis perhibetur. Et exſtat in Piceno celebre eius rei monumentum. Fama eſt per eam occaſionem in agro Montis Sancti (oppidum id eſt Lauretum inter, & Firmum) viam illam pulcherrimam eſſe ſtratam, quæ hodieque via Reginarum vocatur, ab his videlicet Reginis olim appellata, in quarum gratiam ſterneretur.

A Leone X. ampliſsimis decretis ornatur.
Cap. XVI.

Leonis X. beneficia.

EXin Leo cunctas Iulij Secundi, ſuperiorumque Pontificum Indulgentias, immunitates, beneficia Lauretanæ Domui tributa luculento diplomate rata eſſe iuſſit: ac deinceps alijs ſuper alia diplomatis impenſe cumulauit. Lauretanam quippe Eccleſiam Collegiatam inſti-

tuit: ſigillo cæteriſque collegialibus inſignibus ei attributis. Duodenos inibi Canonicos (ex quorum numero Archipresbyter, & almæ Domus Cuſtos forent) totidemque Sacerdotes aſſiduos, quos Manſionarios vocant. ſenos præterea Clericos chori adiutores eſſe voluit. Sui, cuique annui reditus pro rata portione aſſignati. Omnes porrò Indulgentias, quibus in templorum ſtationibus Roma perfruitur, Lauretanæ conceſſit Aedi, vt ijſdem temporibus Laureti percipere aduenæ poſſent in vna æde, quę Romæ perciperentur in pluribus. Pretium operę viſum eſt, honorarium diplomatis procemium inſerere. *Cum nos memoria repetimus grandia, ac ferè innumerabilia continua miracula, quæ apud Eccleſiam de Laureto multis Chriſti fidelibus pro varijs infortunijs, & neceſsitatibus vbicunque oppreſsis, qui ad Eccleſiam ipſam de Laureto ſola animi moderatione confugiunt, interceſsione dictæ glorioſiſsimæ Virginis, illius vnigenitus operatur Altiſsimus; dignum ducimus, atque debitum, eandem Eccleſiam de Laureto non ſolum in antiquis conceſsionum gratijs fouere, & conſeruare illæſam; verum nouis in dies prærogatiuarum muneribus, largitionibus, compendijſque decorare.* Inde Anconitano, Piſaurenſi, alijſque autumnalibus finitimorum oppidorum mercatibus abrogatis, Recineti dumtaxat Septembri menſe (ornando ſcilicet diei natali B. Mariæ) celebrari emporium iuſſit. Ad hæc Recinetenſis emporij, immunitatumque nuntiis ad barbaras quoque nationes, non tantum ad Chriſtianos populos circummiſſis, euocauit vndique mercium inſtitores. Ergo gentium, generumque omnium mercatores hac fama exciti, Recinetum ad indictum mercatum confluunt, Itali, Dalmatæ, Germani, Flandri, Græci, Armenij, Iudæi denique Hiſpania nuper expulſi, Turcæque. Inſtitorum ergo complures cuiuſque generis, ſeu religione, ſeu miraculo loci (& vicinitas inuitabat) ad Lauretanam Aedem veniſſe conſtat: nec quenquam aditu prohibitum, præter obſtinatos in auita ſuperſtitione, Turcas, Iudæoſque,

Leonis X. teſtimonium.

que, ne videlicet *proijcerentur margarita ante porcos*. Græcos vero, & Armenios (tametſi plerique eorũ ſchiſmatici eſſent) religione erga B. Virginem cum Latinis certaſſe accepimus: plures eorum detractis in ipſo tẽpli aditu ſibi calceis, manibus & oculis ſublatis in cœlum, ad ſacroſanctam acceſſiſſe Domum: quo vbi ventum eſſet; ad limen procubuiſſe venerabundos: ibique proſtratis humi corporibus, Deum Deique parentem adoraſſe, demum ad conſpectum Virginis, aramque adrepſiſſe genibus, Ieſu Mariæque nomina enixe inuocantes. Hæc porro Recinetẽſis mercatus à Leone inſtituta celebritas plurimos deinceps durauit annos, ingenti cum Lauretanæ celebritatis incremento. At Leo ne quam Lauretani cultus amplificãdi omitteret viam, ad vltimum ſanxit, ne vota adeundæ S. Mariæ Lauretanæ vllo modo poſſent cum alijs pietatis operibus commutari. Proinde votum hoc quinque illis vulgo excipi ſolitis aggregauit. Et eſt diploma honorario procœmio inſigniter ornatum: quod quia eſt ad Lauretanæ Virginis laudem inſigne, attexere placuit. *Glorioſiſſima Virginis Matris Dei Maria, a cuius laudibus ſicut neminẽ ceſſare fas eſt, ita ad illas explendas neminem ſufficere arbitramur. Cum ſi quidem nullum promptius miſeris, aut efficatius peccatoribus refugium apud* Deum *inueniatur, merito totius animi, mentiſque affectibus recolentes illam in cœlis primum adorandam, deinde vbique in terris venerandam, & loca eius nomini dicata omni ſtudio ornanda eſſe cenſemus, & illa maxime, qua ipſa B. Virgo ſibi angelicis comitata cœtibus elegit, & aſſidue in eis ad Chriſti fidelium auxilium, & ſubleuationem miracula fere innumera operatur. Inter qua omnium conſenſu teſtimonio, ac deuotione locus ille Lauretanus fama celebris, ac deuotorum frequentia cultiſſimus meritò habetur primus. Cum enim Beatiſſima Virgo (vt fide dignorum comprobatum eſt teſtimonio) è Nazaret imaginẽ, & cubiculũ ſuum diuino nutu trãsferens, poſtquam apud Flumen* Dalmatia *oppidum primo, & deinde in agro Recanatenſi in loco nemoroſo, ac rurſus quodam in colle eiuſ-*

Leonis x. teſtimoniũ alterum.

le eiuſdem agri particularibus perſonis addicto poſuit. Demum in via publica vbi modo conſiſtit illud angelicis manibus collocando ſibi delegit, & in eo aſsidue miracula innumera illius meritis operatur Altiſsimus. Ob quod complures Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & præcipue fel. Recor. Paul. II. Syxtus IV. & Iulius II. Sacratiſsimæ Virginis merito deuotiſsimi, quo populum Chriſtianum omnipotenti Deo, & Virgini Matri redderent acceptabilem, Eccleſiam Lauretanam, quæ tanto miraculo creuerat, & augetur in dies, varijs, ac præcipue ſpiritualibus decorarunt muneribus. Et cætera, quæ ſequuntur.

Egregijs ornamentis, doniſque decoratur. Cap. XVII.

NEC Apoſtolicis litteris magis Lauretanam Aedem Leo Pontifex, quam Pontificijs opibus auctam voluit. Interim ab eo templi, Domuſque Lauretanæ ædificia ſtrenue adiuta. Bina templi ſacraria circundatis ſegmentato opere armarijs adornata. Inde ad ipſam ſacroſanctam cellam honeſtandã conuertit animum. Ac ſacros quidem parietes intrinſecus ornandos ratus non eſt, ne quid in eis ornati eſſet præter ipſos, quos Chriſti ac B. Virginis habitatio, contactuſque ſatis ſuperque adornarant. Cæterum intentus ſacello extrinſecus magnifice exornando (& materies ad id nuper ab Iulio præparata ſtimulabat) eam ornatus amplitudinem concepit animo, quæ digna Deipara Virgine, digna Romano Pontifice Chriſti Vicario, digna ipſius loci maieſtate religioneque, quoad paterentur humanæ opes, foret. Ergo Sanſouino Architecto ſimul ac ſtatuario illis temporibus nobiliſſimo, formæ deſcribendæ negoçium dat monito quid ſui conſilij ſit. Sibi vtique eſſe in animo tale moliri opus, quod in parua mole, omnem illius ſeculi magnificentiam vinceret. Nec defuit regio Pontificis animo ſapientiſſi- Leonis x. ornamenta.

mi architecti ſolertia. Formam quippe talem deſcripſit, quæ Leonis reſponderet optatis. Nec Pontifici minus animi in opere perficiundo fuit, quam ſtudij in forma optanda probandaque fuerat. Precioſi marmoris haud quaquam ſatis erat: & deſcripta forma requirebat ingentes marmoris glebas. Igitur eas inde vſque à Carraria (quæ candidi marmoris lapidicina in Liguribus eſt in primis nobilis) peti iuſſit. Nullaque habita ſumptus ratione Liguſtica marmora nauigijs impoſita longiſſimo circuitu (quippe infero ſuperoque mari, Italiæ oram pene quam longa eſt, circumuehi neceſſe erat) ſubuehenda curauit. Quæ ad Anconam, ſiue ad Recinetenſem portum demum expoſita Lauretum aduehebantur plauſtris: ibi ab eximijs fabris illius ætatis maxima mercede conductis, antiqua illa Græcorum, Romanorumque arte perpoliebantur. Inter hæc auxit loci maieſtatem, religionemque haud exiguum Lauretanæ Baſilicæ additum decus. Leo, vt auguſtiorem ſedis Lauretanæ ſpeciem faceret, Petrum Antonium Perottum Præſidem ſacris operantem cum cætero habitu, tum verò Epiſcopalibus inſignibus venerabilem fecit: eidemq. conceſſit, vt ſacris operatus populo bene precaretur Epiſcopali ritu. Nec Leonis cura Lauretanum Antiſtitem magis, quam aram Pontificijs muneribus honeſtauit. Cādelabra argentea quatuor ſeſquicubitalia auro interlita, & præclaro opere cælata pondo fere quinquaginta: vmbella inſuper quadrata egregia Leonis dona ſunt. Per eadem tempora Lauretana Aedes alijs quoque nobiliſsimorum hominum muneribus culta. Antonius Leiua Dux Hiſpanienſis exercitus ſacerdotalē ornatum dono miſit ex veſte Damaſcena, auro criſpo magnifice intertexta. Regina Vngariæ effigiem ſuam ex argento ſupplicem pondo xxx. Marchioniſſa Mantuana ſacerdotis, ac miniſtrorum ſolemni ceremonia ſacrificantium veſtimenta, argento auroque contexta. Alij porrò alia, qui etſi nobiles ipſi erant; tamen ſua nomina

Leonis x. Dona.

Cod. Laur.

Antonij Seiua D.

Reginæ Vngariæ D.

Marchion. Mantuanæ D.

in ſuis donis ignota eſſe voluerunt. Quibus ex donis illa eminent maxime. Statua argentea B. Virginis cum effigie pueri Ieſu globoſum orbem tenentis manu, pondo librarum octo. Huic altera adiecta argentea item ſtatua, & pōdere par,& ſpecie ſimilis:hoc vno differt quod Chriſtus puer matris gremio inſidet, dextra prætendens pyrū. Alia rurſus ex argento expreſſa B. Mariæ effigies librarū xI. Itemque alia, pari fere pondere,cum Cæſareæ Aquilæ inſignibus, vt vnde ea ſit, haud ægre appareat. Dona ab Ignotis.

Sacerdos Dalmata Lauretum venit,exempta ſibi exta præferens manu. Cap. XVIII.

EOdem fere tempore permira res, & magis propter infinitam Dei vim,quam propter facti nouitatem incredibilis,Lauretanam Aedem longe inſigniorem fecit toto orbe terrarum. Sacerdos erat Dalmata vir antiqua ſimplicitate, idemque Lauretanæ Virgini vnice deditus. Hic forte captus à Turcis,cum ad deſerendam religionem omni artificio pelliceretur; nefarias voces non dicam animo, ſed auribus admittere nullo modo ſuſtinebat. Itaque importunos illos hortatores auerſatus, vt eis ægre faceret, vltro Chriſtum, ac Mariam identidem inuocabat. Stomachantibus illis,ſciſcitantibuſque cur tandem illa nomina vſurparet, quia hærent mihi (inquit) in præcordijs. Ibi Turcæ minitari,ſe præcordia ipſa extracturos, niſi extemplo Chriſtum Mariamque exſecretur. Erratis (inquit ille) præcordia mihi auferre poteſtis,Chriſtum & Mariam non poteſtis. Tum vero illi furentes ira ſacerdotem ferro pariter inuadunt. Hic Dalmata Lauretanam inclamās Virginem vouet, ſi vita ſuppetat, primo quoque tempore ſe ad eam iturum. Ea vox iratos magis accendit. Igitur hominem circumſiſtunt, & diſciſſo apertoque pectore, inteſtina à ſummo reciſa extrahunt: eaque ſemineci, iam Tradit Lau. Ann. Laur. Rieræ.

iamque vt rebantur, caſuro tradunt, ſimul per ludibrium increpantes. Abi iam propera, & præcordia in quibus hære rere ait Mariam Lauretanam, ad eam perfer, vti vouiſti. Excedit fidem, non tamen diuinam vim, quod deinde me moratur. Moribundus ſacerdos, Deo mortem morante, vireſque ſuggerente, porro ire pergit: multorumque dierum itinere celeriter emenſo, Lauretum peruenit ſua exta præferens manu. Quacumque incedit; concurſus ad eum fieri, ſeu viſendi ſtudio, ſeu rei cognoſcendæ. Et ille Lauretani præcipue templi miniſtris apertum, vacuumque pectus, & prætenta manu viſcera oſtentans, totam rem breuiter enarrat, cunctis ſtupore atque admiratione attonitis. Ad vltimum gratijs Virgini enixe actis, & ſolemnibus Confeſſionis, Euchariſtiæque præſidijs communitus, in Deiparæ conſpectu, complexuque (vt credere par eſt) efflauit animam. Exta ipſa e regione ſacroſanctæ cellæ ſuſpenſa diu aduenis ſpectaculo fuerunt. Quibus tabe abſumptis, exta e ligno aſſimulata, atque ibidem affixa multos annos monumentum ei fuere miraculo. Cæterum quia ruſticani homines Lauretanũ templum ingreſſi, animis tali ſpectaculo occupatis, Deiparam ſegniore colebãt cura; tandem ea tolli placuit. Itaque Paulo III. Pont. per occaſionem firmandi pilas, quibus tholus incumbit, tigillum vnde illa pendebant, deiectum eſt. ad conſeruandam tanti miraculi memoriam, ſacerdos præcordia prætendens in tabella depictus, addita breuì totius rei narratione, & in publico propoſitus, qui hodieque viſitur. Miraculum quidem ipſum adeo teſtatum eſt, vt nefas ſit de eo dubitare. Multi adhuc viuunt, qui teſtantur exta è ligno expreſſa ab ſe viſa, pluresque accolarum auditos, cum dicerent, exta ipſa adhuc recentia ab ſe conſpecta eſſe Dalmatæ ſacerdotis.

Turca-

Turcarum incurſiones ab Aede Lauretana diuinitus arcentur. Cap. XIX.

PEr idem tempus B. Virgo, quam ſibi Lauretana Domus cordi eſſet, haud dubijs argumentis oſtendit. *Ann. Laur. Rier.* Selimus Turcarum Imper. Mahometis nepos, intactis æuo Lauretanæ cellæ theſauris imminens, nihilo feliciore exitu tantum facinus tentauit, quam Mahometes eius auus tanto ante tentauerat. Iam Selimus ſuis, maiorumque ſuorum victorijs erectus, omnia pene maria claſſibus habebat infeſta, totam ſubinde Europam, vltimique occidentis oras imperio ſuo deſtinans. Igitur illo authore, ingens piratarum manus in Italiam appulit: & Dalmatarũ, Appulorumque littoribus depopulatis, Lauretanæ prædæ ſpe inuitante, in Picenum vela fecerunt. Deſcenſione inde facta, Caſtro Portus Recinetenſis potiuntur: tecta cædibus & incendio fœdant. Iam nemine contra arma ferente, Lauretum inflammatis ſtudiis contendebant; cum deſertam à mortalibus propugnatoribus ædem à cœleſtibus defendi, propugnarique ſenſerunt. Quippe ipſemet Lauretanæ Aedis conſpectus tantum eis terrorem incuſſit; vt è veſtigio trepidi re infecta, repeterent claſſem, haud dubii, quin dilecta illa cœlo domus cœleſti præſidio tegeretur. Selimus porro conandi ſceleris author paulo poſt haud dubia diuini numinis ira periit cancro, fœdiſſimo iuxta, atrociſſimoque morbo miſere abſumptus. Nec tamen exitialis Selimi exitus aliorum compreſſit audaciam. Cognitum eſt deinde ex Turcarum captiuis, qui fuga elapſi, Lauretum ad vota B. Virgini reddenda venerunt, Archipiratas, in quorum ipſi fuerant poteſtate, ſæpius Lauretani templi prædandi, ſpoliandique ſtudio Lauretum inſtructa claſſe petiiſſe. Cæterum vt in ſacroſanctæ conſpectum Aedis ventum eſſet, repente pauore ingenti diuinitus

diuinitus

uinitus iniecto, regredi coactos, latens vtique numen inibi eſſe confitentes. Ita audacia in venerationem vertit. Nam cum hæc fama inter barbaros increbuiſſet, ex eo tẽpore piratici myoparones oram Piceni legentes in conſpectu Aedis Lauretanæ vix auſi ſunt quicquam hoſtile conari, ne dum ad Aedem ipſam diripiendam accedere. Semel dumtaxat biremes Turcicæ duæ ex agro Lauretano prædas agere auſæ: quæ mox Deiparam Virginem expertæ ſunt vindicem rerum ſuarum. Eodem ipſo die à Canaletto Venetæ claſſis Duce captæ: prædatores ſuſpenſi: præda omnis recepta. Lauretana res barbarorum clade ſancita.

Chriſtiani exercitus auaritiam eludit. Cap. XX.

NEc à Barbarorum vi magis, quam ab auaritia Chriſtianorum militum Lauretana Domus per idem tẽpus cæleſti vtique præſidio intacta manſit. Franciſcus Maria Vrbini Dux ditione à Leone Decimo exutus fuerat. Qua deinde armis recepta, vltro ipſe Picenum agrum infeſta populatione percurrit, Pontificis, vt ipſe dictitabat, iniuriam vlturus. Exercitum habebat ex multarũ gentium colluuione miſtum, quibus nec mos, nec lingua communis, & præda potior religione erat. Proinde neque Ducis imperio ſatis regi poterat, neque vlla ratione à rapina prohiberi. Et Præfectorum, Centurionumque plerique iampridem Lauretanis theſauris inhiabant. Iamque per internuncios de his diripiendis clandeſtina inter ſe conſilia agitarant. Ergo ex compoſito ad Montem Filatranum non procul Laureto ſub veſperam ſubſiſtunt ea mente, vt poſtero die illuceſcente, Lauretanam Aedem defenſore vacuam direptum eant. Haud fefellit pium iuxta prudentemque Ducem impius conatus exercitus ſui.

Ann. Laur. Riera.

Itaque

Itaque per interpretes deterrere ab impio conſilio perditos barbarorum Duces, per Italicas copias nefarium facinus impedire inſtitit: omnia agere, omnia moliri, vt quolibet potius auerteretur incenſa prædæ cupido. Cæterum ſurdæ erant omnium aures obſtrepente auaritia. Ita maior pars, vt plerumque fit, vicit meliorem. Luce nondum certa, præmiſſis exploratoribus, agi cœptum eſt agmen. Diſſuadere iterum Dux ac minas precibus miſcens deprecari ſacrilegam profectionem. Poſteaquã nihil proficiebat, orat, ſi ſtetiſſet animo Lauretum pergere, vt mutata in diuerſum voluntate, pietatis ergo, vt cęteri mortales, ad ſacroſanctam Deiparæ Virginis cellam accederent: ſi ſecus fecerint, non ſuam modo, ſed cœleſtem quoque intentat iram, recentia Turcarum exempla proponens. At illi animis væſania auaritiaque occupatis, nullius ſalubris conſilij patientes ad deuoratam ſpe, & opinione prædam incenſis ſtudiis tendunt. Sequitur exercitum Dux, quem regere nequibat, ſacrilegium, quod impedire non poterat, temperaturus. Sed non defuit ſacroſanctæ cellæ præſidium Virginis. Præmiſſi exploratores haud procul Laureto aberant: omniaque tuta eſſe cernentes lætitia geſtiebant; cum ſubito acrium grex luporum (vt ferinam hominum rabiem feræ comprimerent) è ſaltu proximo erumpunt. ac velut facto agmine in præcurſores impetum faciunt: illorum pleroſque repentino terrore amentes iugulant laniantque: cæteros in fugam vertunt, ſalutis iam magis quam prædæ memores. Qui vt ad primum agmen metu, curſu, laſsitudine exanimati peruenere; receptis demum à pauore tanto animis, effuſæ fugæ, terroriſque cauſam ſocijs tanti ſceleris aperiunt. monent etiam atque etiam, viderent quid agerent: Aedi Lauretanæ Deum cuſtodem, ac vindicem adeſſe. tantã vim luporum, tam immania corpora belluarum non è nemore illo egreſſam, ſed diuinitus in prædatores emiſſam: nec ipſis tam cum belluarum exercitu, quam cum Deo, coeleſtibuſque

leſtibuſque eſſe pugnandum. At væſani exercitus Duces exploratorum terrorem tanquam vanum, militari deridiculo eludentes, nihilo minus properabant ad prædam. Verum enimuero, vt ſacra Aedes in conſpectum ſe dedit; repente ingens exercitum pauor inuaſit: cunctique lymphatis ſimiles trepidare coeperunt, diuinitus incuſſa formidine omnium pectora percurrente. Tum vero excuſſa væſania, ad ſe redunt ſceleris Duces: & ſiue diuini ira numinis, ſiue templi religione conterriti, cuncti pariter præmeditato latrocinio deſiſtunt. Cæterum ne ſubinde militares animi ad ingenium redirent, conſternatis nouum miraculum additur. Iam multum diei proceſſerat, cum repente nebulam de cœlo lapſam ferunt, quæ paulatim circa templum denſata eius conſpectum ademit, cum tamen cætera circum loca ſole eſſent illuſtria. Ea ſpecies oculis obiecta militum animos quoque immobiles tenuit. Ex inde ingenti horrore perfuſi procumbunt ingenua, verſaque in religionem audacia, ad placandam Dei ac Deiparæ iram, Lauretum ire pergunt. Quo vt ventum eſt, cuncti, ac præcipue cohortium Duces, Lauretanam Aedem intrant venerabundi: ac poſitis humi genibus cogitati ſceleris veniam expoſcunt. Vltro etiam Virginem, quam diripere deſtinauerant, muneribus colunt, ita ſuſceptum ab inſano principio iter exitu ſaniore concluſum. Vrbinatium Dux inſperato exitu facinoris mire lætus, Deo ac B. Virgini auerſum ſacrilegium gratulatur: mox detracta ſibi arma in primo auguſtiſſimæ cellæ aditu ſuſpendit tanti miraculi monumentum: ſimul ſe ex agro Piceno exercitum abducturum vouet. Nec votum fefellit. Extemplo formidabiles copiæ abductæ, eademque opera, & Lauretana Aedes, & Picena regio direptionis metu diuinitus liberata.

Lauretum à Leone Decimo mœnibus cingitur. eximium cælaturæ opus vrgetur. *Cap. XXI.*

MVltiplicis periculi Lauretani, diuinique præſidij rumor Leonem Pontificem perpulit, vt humana etiam ope talia pericula arceret in poſterum. Apparebat Pontificiarum ædium molem Aedis munimento deſtinatam eſſe tantam, quantam vix aſſiduus plurimorum annorum abſoluere poſſet labor. Ergo tam ſera ſpe damnata, aduerſus ſubitas hoſtium populationes, Lauretum foſſis, aggeribus, mœnibus, propugnaculis cingit, huius ſeculi anno ferme XX. Satis etiam tormentorum æneorum adijcit ad propugnandum, & procul arcendum hoſtem. Ex quo Lauretum templi oppidique munitionibus ſeptum, adiuuante collis ſitu, muniti caſtelli etiam eminus haud vanam ſpeciem gerit. Huius rei fama finitimos ad incolendum, non tantum peregrinos ad viſendum exciuit. Barbaros vero, ac cæteros à conando in poſterum ſcelere retardauit. Inter quæ Cardinali Robureo Laureti Patrono vita functo Bernardus Card. Bibiennēſis, huic Iulianus Rodulphus Prior Capuanus à Pontifice ſuffectus eſt: qui Leonis iuſſu, quoniam iam paratum erat Dynaſtis hoſpitium; domum hoſpitalem pauperibus peregrinis denuo exſtruxit. At Pontifex perfectis Laureti munimentis, campanam raræ magnitudinis fundendā curauit xx. millium pondo, eamque Lauretam oppidi nomine appellauit. Exinde haud parum memor egregij monumenti, quod circa ſacroſanctum ſacellum relinquere moliebatur, Sanſouinū cæteroſque artifices litteris, præmijs, promiſſis impenſius vrgere inſtitit, vt ſe viuo, tam eximium opus abſoluerent. Exſtant Leonis ſuper ea re ad Sanſouinum litteræ, quarū initium, quia plurimum valet ad Lauretanæ Domus commenda-

Card. Bibien. Patron. Laur.

Leonis X. Teſtimoniū tertium.

mendationem, viſum eſt hoc loco referre. Id tale eſt: *Cum pro immenſis, & infinitis in humanum genus, ac præcipue in nos ipſos ab immaculata ſummi* Dei *Redemptoris noſtri genitrice collatis beneficijs, ſacroſanctã, totoque terrarum orbe venerandam* Lauretanam *Eccleſiam, quam eiuſdem* Virginis *carnis ſarcinam ferentis cellulam extitiſſe, & Angelicæ ſalutationis, atque diuini partus, quem editura eſſet, nunciũ fuiſſe deuotè, ac piè credimus, & in qua ſe* Virgo *ipſa vberiorem in dies ſingulos exhibet gratiarum largitricem fidelium cunctorum votis præſto ſuccurrens*, & cætera quæ ſequuntur, quorum ſumma eſt. Sacroſanctam Virginis cellam dignam vtique eſſe, cui præcipuus quidam honos habeatur. Proinde ei ſumma ope, omnibuſque viribus connitendum, vt quam maturrimè ornamentum eius abſoluat. Verumtamen haud potuit Leone viuo, ſuprema illi operi imponi manus. Et ſanè genus cælaturæ, ac pulcherrimarum ſtatuarum multitudo non vnum requirebant Pontificatum. Leoni ſublectus Adrianus VI. vir alioqui pius doctuſque; verum ſeu perturbatio temporum, ſeu Pontificatus breuitas (quippe vix annuus fuit) fecit, vt nullum pene relinqueret ſuæ erga Lauretanã Aedẽ religionis indicium, vtique cum Flãdris, ex qua gente ipſe erat, tẽplum elegans Romæ ſumma ope ædificaret S. Mariæ ſacrum, cui ab Anima cognomen eſt factum. Cæterum quàm propenſa eius voluntas erga Lauretanam Aedem futura eſſet, ſi vita ei ſuppeditaret, facile oſtendunt litteræ ab eo ad Lauretanum Præſidem datæ, & ſuperiorum Pontificum beneficia, immunitates, indulgentiæ confirmatæ. Pauca quoque huius temporis Lauretana dona reperio, propterea quod ea tempeſtate notabantur negligentius. Certum habeo non defuiſſe. Exſtat donorum memoria tacitis nominibus donantiũ. Credo quod ipſi taceri vellent, quò dona forent Deo ac Deiparæ gratiora. Vnum reperio Ioannis Baptiſtæ Carafæ monumentum, qui imaginem ſuam ſupplicem ex argento cælatam B. Virgini conſecrauit.

Io Baptiſtæ Carafæ D.

Cle-

Clemens VII. Lauretano templo decretis ornato, ſacroſanctam cellam exornare pergit. Cap. XXII.

CReatus inde Pontifex Leonis X. patruelis Clemens Septimus, cuius Pontificatum domeſticis iuxta, externiſque bellis exercitum non magis vrbis Romæ direptio, quam religio Lauretanæ Domus inſignem fecit. Is quippe Pontificatu inito, nihil fermè prius habuit, quã vt Lauretanam Aedẽ Pontificijs diplomatis honeſtaret, quibus & vetera firmaret beneficia, & adijceret noua. Omittere hoc loco nõ poſsũ caput cuiuſdã eius diplomatis, Lauretanæ Virgini perhonorificũ. Id eſt eiuſmodi: *Cũ nonnulli Romani Pontifices, præſertim fel. rec.* Leo *Papa X. prædeceſſor, & ſecundum carnem frater patruelis noſter, reſpicientes multa & magna miracula, quæ in Eccleſia noſtra* S. *Mariæ de Laureto quotidie operatur Altiſsimus, ac moniti ſingulari deuotione & religione, Eccleſiæ ipſi, & illius* Domus *Capitulo, Canonicis, & alijs perſonis quam plurima priuilegia, immunitates, gratias, diuerſis temporibus conceſſerint, Nos qui erga B. Virginem, ſub cuius inuocatione dicta Eccleſia conſtructa eſt, ſingularem deuotionem ſemper habuimus, volentes quæcunque ſunt in fauorem dictæ Eccleſiæ conſeruari*, & quæ ſequuntur. Inter beneficia Clementis fuit, quod Recinetenſibus ius omne, ſi quod reliquum eſſet in Lauretum, ademit. Nec paruum eiuſdem beneficium, quod Ioannem Matthæum Gibertum Veronæ Antiſtitem Laureto præpoſuit, virum doctrina pariter, & virtute clarum. Ab eo Lauretana Aedes ſupellectili ſacra, optimis Canonicis, ſolemnibus cæremonijs inſtructa cultaque. Pontificiarum ædium porticus fornicatæ: ciſterna, quam à Card. Robureo ædificatam diximus, tectorio inducto concinnata, magno, vel peregrinorum, vel incolarum bono. Cæterum illa maximè cura intentum Clementis habebat animum, vt nobile illud à Leone inchoatum auguſtiſsimi ſacelli ornamen-

tum pari magnificentia abſolueret. Accendebatur domeſtica vel pietate, vel gloria, vt cuius familiæ decus inchoata Aedis Lauretanæ cælatura eſſet, eiuſdem abſoluta foret. Itaque Antonium Sangallum, Raphaelem Baccium, Nicolaum Tribulum, alioſquè ſtatuarios illa tempeſtate celeberrimos ingenti precio conducit. Rayneriũ Nerucium Piſanum Lauretanæ ædificationi, præcipuè vero egregio illi operi pro dignitate perficiundo præeſſe iubet. Iam precioſa marmora erant maxima ex parte cælata ac perpolita. Nerucius ergo, dum cætera elaborantur, diſturbat lateritios muros, qui ſacræ cellæ pro fulcimento adſtructi, ab eademque diuinitus repulſi, ſubmotique (vt antea diximus) ſpectaculo erant. Inde, pari interiecto ſpatio, quod veteris miraculi monumentum foret, nouos circundari parietes placuit, qui cælato marmore conueſtiti extrinſecus adornarent ſacellum: ſuperſtruendumque fornicem nouum, deiecto lacunari tectoque veteri, ſuſtinerent. Aedem quippe lapide concamerari Pontifici placuerat, verito ne peruetuſtum tectum laqueatum, tot luminibus perpetuo ardentibus obnoxium, igne concepto, exitium ſanctiſſimæ cellæ pareret. Proinde ars poſtulabat, vt altiora fundamenta iacerentur, quæ ſatis firmis ſubſtructionibus tam inſigne, precioſumque opus à terræ motibus tutum vſquequaque præſtarent. Igitur aperiendis nouorum parietum fundamentis, ſacra Domus, (ne ſubducto ſolo, quid detrimenti caperet) ſtragulis, vt fit, funibuſque conſtricta, ac validis ſuſpenſa rudentibus tamdiu ſublimis pependit è machinis, quoad expletis foſsis, noua fundamenta exſtare cœperunt. Quo tempore ſatis conſtat (plurimorum enim oculis res comperta eſt) ſub imis parietibus, dum circa eos ad fundamenta humus effoderetur, puluerulentum tritumque ſolum, & proximi ruris ſepem oppreſſam, aliaque militaris viæ, quam ſacra Aedes occuparat, indicia inuenta eſſe, noua veteris miraculi monumenta. Hæc autem à plu-

Hier. Ang. Tradi. Lau.

rimis

rimis tum notata, atque animaduerſa ipſemet Hieronymus Angelita ſub idem tempus memoriæ prodidit in hiſtoria Virginis Lauretanæ.

Architectus ſacros parietes perfodere auſus, diuinitus exanimatur. Cap. XXIII.

CAeterum aucta per idem tempus loci celebritate, ſanctiſsimam Aedem ianuis augeri oportuit. Vna tum erat ianua (vt ſupra demonſtrauimus) in medio fere pariete, qui vergit ad ſeptentriones. hac ingredientibus omnibus & egredientibus aditus erat pariter, exituſque. Itaque in tanta aduenarum multitudine concurſuque, alijs vt fit, alios prementibus, nonnulli (quia receſſum primis vltimi non dabant) coarctati, oppreſsique exanimabantur. Proinde (quod iam pridem, & à multis optatum, & à Leone Decimo in forma exterioris ornamenti deſtinatum fuerat) peruiam fieri cellam placuit, binis ad angulos duorum parietum ianuis patefactis. Vt primum Architecti conſilium diſtulit rumor; enimuero nefas videri, non magis accolis, quam peregrinis, eos parietes ferro temerari, quos per tot ætates diuina prouidentia ſaluos, intactoſque ſeruaſſet. Multi palam fremere, quiſquis id auderet, haud impune ſcilicet auſurum. Igitur cœleſtis iræ metus fabros à conando abſterruit. Haud vanum fuiſſe metum docuit euentus. Quippe Nerucio ipſi Architecto rem aggredienti quiddam accidit viſu dictuque mirabile. Fabris tale miniſterium detrectantibus, ipſemet ſacrum parietem perfodere aggreſſus eſt, maiore artis fiducia, quam reuerentia loci. Ergo vt malleum in ſacrum parietem adegit, repente manu obtorpeſcente, inſolitus horror reliquum corpus inuaſit. pallor deinde ſuffuſus ori ingentis mali nuntius: mox linquente animo, qui circa erant, collabentem excipiunt, domumque inter manus

Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.

defe-

deferunt exſpiranti ſimilem,& ſenſus omnis expertē. Exanimatus iacuit horas ferme octo, quoad ſcilicet eius coniux mulier pia, & B. Mariæ Lauretanæ dedita in paucis Deum Deiparamque precibus, votiſque placauit viro. Tandem igitur vitalis calor,qui totum propemodum corpus reliquerat, artubus reddi, & ſpiritus liberius meare coepit. Iamque alleuans Nerucius oculos, redeunte ſenſim animo, circumſtantes noſcitare. Demum iam compos mentis audaciam incuſare ſuam: veniam opemque à B.Maria expoſcere. Nec fruſtra. Animus religione exſolutus pariter corpus ægritudine leuauit, vt morbi cauſā ipſamet curatio aperiret. Poſtquā conualuit,Pontificē tota de re admonitum quid facto opus ſit conſulit. Ille haud ignarus id nimia Architecti confidentia magis,quam indignatione B. Virgnis eueniſſe; miſcens monitis imperia vrget Nerucium, vt Dei Vicario authore non dubitanter exſequatur incoeptum: & ſimul impenſe monet, vt ſacros parietes perfodiat non tam malleo & audacia, quam ieiunio & veneratione Virginis armatus: ſic demum rem ex ſententia ſucceſſuram. Neque enim timendum eſſe, ne Deipara Virgo ſuam domum peruiam fieri nollet, quę eā peregrinis vellet cum ſalute, non modo ſine pernicie patere. At Nerucium recenti malo ex audacia timidiorem iam factum, ne Pontificis quidem authoritas perpellere potuit, vt iterum ipſemet experiretur quod tāto ſuo periculo paulo ante tentarat. Ad vltimum quia Pontificis imperium vrgebat,& mora patefaciendi ianuas ædificationē morabatur operis; inuentus eſt adoleſcens minime timidus, qui authoritate Pontificis fretus, & plenus amicorum vocibus rem auderet. Clericus is erat Baſilicæ Lauretanæ. Venturam Perinum vocabant. hic triduano munitus ieiunio ad ſacrum parietem cum malleo venerabundus accedit. Circa Perinum erat & aduenarum turba, & Clericorum, hæc ſolicita ex adoleſcentis fiducia, illa rei expectatione ſuſpenſa. At Perinus ſupplex ita præfatus

dicitur.

dicitur. Sacra Virginis Domus, ignoſce innocentiæ: non ego te hoc malleo, ſed Clemens Dei Vicarius ornamenti tui auidus fodit: ille te ornatam, ille te peruiam cupit. Placeat Dei parenti, quod Dei Vicario placet. Talia precatus diſignatum parietis locum percuſſit impune. Eum deinde ictus tuto iterantem fabri pari ieiunio, ac reuerentia ſecuti, ianuas aperiunt tres, quarum duæ liberum populo ingreſſum, egreſſumque præberent, tertia ſacerdotibus aditum daret ad ſanctiorem ſacelli partem, vbi eſt Virginis ſimulacrum. Eodem tempore parua feneſtra, quæ vna in anteriore pariete erat ferme e regione ſimulacri, amplior ad accipiendum lumen facta, & clathris æreis inauratis pulcherrime communita. Cæmentis inde erutis, vetus ianua, quæ ſatis ampla in medio pariete patebat, obſtructa. Exin nouus paries duci, & inſigni cælati operis cruſta operiri, conueſtirique cœptus.

Clemens Lauretanæ Virginis ope adiutus eam impenſius exornat. Cap. XXIV.

SVB id tempus Clemens Aedi Lauretanæ adornandæ intentus, ingens periculum Deiparæ Virginis ꝑ ſidio euaſit. Fraude, doloque hoſtium capta vrbe Roma, ipſe in arcem molis Adrianæ receperat ſe. Ibi à Cæſarianis obſeſſus, poſteaquam hoſtium vim ſuſtinere non poterat, non votis modo, ſed etiam litteris Lauretanæ Virginis implorat auxilium. Nec miſſæ in caſſum preces. Pontifex haud ita multo poſt inter hoſtium tela elapſus in tutum eſt. Ad hoc ex auro argentoque Lauretano tria circiter aureorum millia coacta: & Pontifici inopia laboranti peropportunum ſubſidium miſſa. Ita Clemens gemino B. Mariæ Lauretanæ beneficio, præſens periculum inopiãque vitauit: ac demum diſcuſſa ingruente belli procella, pacem populis ſuis, atque otium peperit. Diſcriminе capi- *Bern.Cyril.*

tis,

tis belloque perfunctus, Lauretanæ Virgini gratiam non ſolum habendam, ſed etiam quantum mortali fas eſſet, referendam exiſtimauit. Igitur poſt Carolum Quintum in ſignibus Imperij ab ſe decoratum Bononiæ, Romam inde remigrans ad Lauretanam diuertit Aedem, Patronam Liberatricemque ſuam ſalutaturus. Gratijs rite actis, votiſque Deo ac Virgini perſolutis, vt tantorum erga ſe meritorum exſtaret gratia, inchoata Lauretanæ ædificationis opera ſumma vi vrgere ſtatuit. Architecto igitur, fabriſque inſtare cœpit, templum præcipue ad culmen perducere aliquando feſtinans. His operibus perficiundis pecuniam, quam mutuam à Virgine acceperat, reddidit. Itaque illo Pontifice, & Pontificia tecta Laureti ſtrenue ædificata, & templo faſtigium impoſitum, cum egregio tholo, qui tantum ſe à faſtigio attollit, quantum faſtigiū à terra. Inter hęc haud vltima Clementis cura erat de abſoluenda præclara illa cælati operis cruſta, quam vt principia ſe dabant, haud falſo augurabatur maxime inclytam toto orbe terrarum futuram.

Lauretum exciſis nemoribus, lacuniſque ſiccatis ſalubrius redditur. *Cap. XXV.*

DVM Lauretana Domus egregijs operibus ornatior in dies exiſtit, etiam Lauretum oppidum exciſis circa ſyluis, exſiccatiſque paludibus exiſtere cœpit ſalubrius. Infame incolarum morbis mortibuſque erat illa tempeſtate Lauretanum cœlum: quippe magna ex parte paluſtre ac noxium, multarum offenſarum cauſas corporibus afferebat, vt incolę bonam anni partem pituitoſi eſſent omnes ac redundantes: plerique tenui, imbecillaque vterentur valetudine: pueri vero maxime immatura morte extinguerentur, vt pote qui propter corporum imbecillitatem, proximi ſtagni halitum, locique ipſius grauita-

Bern. Cyril.

uita-

uitatem ægerrime ferrent. Et ſane Lauretum ſitum eſt in tumulo vergente ad meridiem, orientemque ſolem; cæterum ab occidente ac ſeptentrionibus, qua ſyluarum paluſtrium, quà collum obiectu clauſum excludebat ventos ſalubres: contraque ab altera parte apertum noxios excipiebat graueſque. Nec procul planities erat caliginoſa paludibus, quas reſtagnans amnis (Muſioni nomen eſt) faciebat, & limoſa inſuper hyemalibus aquis, quæ paulatim collectæ nullo motu agitante torpebant. Crederes inſalubrem ſedem Deiparæ cordi fuiſſe, vt eius præſidij ſalubritas in loco inſalubri magis emineret. Pertulit igitur fama ad Pontificem, in oppido Laureto ab cœli inclementiam, pleroſque infantium ac puerorum, priuſquam ætas adoleſceret, interire: ita paulatim incolis metu orbitatis alio demigrantibus, in oppido ſolitudinem fieri. Itaque ille Lauretanæ Virgini pulchrum ratus, & oppidum quam frequentiſſimum, & locum quam ſaluberrimum eſſe; de architectorum ſententia commodiſſimum exiſtimauit, vicinas lacunas ſiccare, nemora excindere, imminentes templo colles (Montem Regalem, & Montinorum incolę appellant) æquare, vt nebularum origine ſublata, cœloque patefacto, aer ventorum ſalubrium flatibus apertus ſalubriorem faceret locum. Igitur Ioanni Antonio à Statis Lauretano Gubernatori, & Antonio Sanſouino architecto ſcribit his verbis. *Accepimus aerem iſtic præſertim æſtiuo tempore reddi inſalubrem; partim ex eo, quod quidam collis dictae Capellae, & Eccleſiæ ſupereminens ventos montanos loco ſalubres excludit, partim quod in planitie dictæ Eccleſiae circumuicina etiam ad quinque millia paſſuum plures plaudes, & ſyluae fere ſemper limoſae inſalubritatem faciunt. Quamobrem nor illā Eccleſiam toto orbe Chriſtiano ob glorioſiſsimae Virginis Mariae merita, & confluentium illuc populorum multitudinem celebrem, his cauſis ſublatis, ſalubrem reddere cupiētes, iam ordinauimus, vt dictus collis ſupereminens complanetur, paludes factis foſsis exſiccentur, ſyluæ excidantur.* Lau-

O retanus

retanus ergo Præſes impẽſius etiam quam iubebatur, tam ſalubre opus aggreſſus eſt anno huius ſęculi XXXIII. ac ſtrenue per architectum, ingenti operarũ vi conducta, pauperibus etiam peregrinis corrogatis, ſyluam vico proximam deijcere, lacunas ductis foſſis in præterfluentem amnem, aut in mare proximum deriuare: imminentem oppido collem cædere inſtitit. Longum erat, ac pene infinitum opus. Proinde tum inchoatum magis quam perfectum. Cæterum illa ipſa inchoatio, & ſalubritatis aliquid in præſentia, & ſpei plurimum in poſterum procedente opere incolis fecit.

Clemens tribus cubicularijs in Dalmatiam, & Galileã miſſis, Lauretanæ Domus migrationem explorat. Cap. XXVI.

Tradit Lau. Ann. Laur. Riera.

SAlubrior iam facta erat Laureti habitatio, cum Lauretanæ Domus hiſtoria facta eſt exploratior. Hieronimus Angelita ciuis Recinetenſis domi ſuæ, vel generis nobilitate, vel integritate vitæ clarus in paucis fuit. Is Virginis Lauretanæ hiſtoriam ab ſe conſcriptam Clementi Pontifici per id tempus dicauit. Scribendæ dicandæque Pontifici hiſtoriæ cauſa fuit, quod per eadem ferme tempora, vt ante dictum eſt, ſacroſanctæ Domus è Galilæa in Dalmatiam, inde in Picenum aſportatæ narrationem ex Flumenſibus Annalibus Dalmatæ quidam ad Recinetenſem pertulerant ciuitatem. Itaque ſiue Angelitanæ hiſtoriæ admonitu, ſeu familiariũ rogatu, ſeu potius cœleſtis numinis inſtinctu, Clementem cupido cœpit, migrationẽ Sanctæ Domus è Galileą intentius explorandi. Haud erat ignarus id ipsũ olim, & à Dalmatis authore Frangipanio, & à communi Picentium, ciuitatis Recinetenſis hortatu, ſatis eſſe perſpectum. Cæterum præcipuas Pontificis partes eſſe ducebat, rem tam inuſitatam, ac pene incredibi-

lem

Iem denuo per certos homines explorare, vt aliorum indicijs accederet Pontificalis authoritas, quæ ex mortaliũ pectoribus dubitationem omnem, ſi qua forte reſideret, funditus tolleret. Proinde ex omnium familiarium numero tres cubicularios ſuos delegit expertæ in primis religionis, ac fidei. Hos quid facto opus eſſet monitos, rebuſque neceſſarijs abunde inſtructos dimittit, fauſtum eis iter precatus. Ergo illi Lauretum profecti, ſacramque Domum intentiore cura contemplati dimenſique, conſcendunt nauim Illyricum petituri. Quo vt ventum eſt, ædiculam Lauretanæ inſtar ſatis vetuſtam, & miraculorum monumentis inſignem inueniunt. Porro parieti eius ædiculæ inſcriptum, Lauretauam ibi Domum olim fuiſſe. Hæc accolæ ipſi monſtrabant: haud vana ab illis afferri veræ lachrymæ vbertim manantes ex deſiderio teſtabantur. Cõfeſtim igitur legati menſuris admotis, deprehendunt prorſus omnia conuenire. Protinus repetito curſu pergunt in Galilæam, Nazarethum veniunt. Sacræ Domus fundamenta monſtrata ab incolis cernunt: quoquo verſus metiuntur: congruere cuncta comperiunt. Ex Legatorum numero Ioannes. N. erat Senenſis, qui nouo aliquo indicio veteris miraculi fidem adfirmandam ratus, duos inde attulit lapides ex ijs, quibus vulgo ſtrui ædes Nazarethi ſolent. Lapis quidem laterem naturali forma imitatur (cuiuſmodi ex ſectilibus lapidicinis erui alicubi ſolet) cæterum flauentibus intermicat venis. Reuerſus igitur Ioãnes cum Collegis ad Aedem Lauretanam, cum eius lapidibus Nazarenos illos lapides confert: reperit geminos eorum, ac ſimillimos eſſe. Ea quoque res auxit miraculi fidem, cum talem lapidicinam in Piceno nullam eſſe conſtaret: et omnia quamuis vetuſta ædificia, ob cæmentorum, taliumque lapidium inopiam, laterculo ſtructa cernerentur. Illi igitur ſucceſſu admodum læti peruolant Romam. Pontificem expectati adeunt, comperta renuntiant. Ioannes inſuper Nazarenos lapides Lauretanis ſimillimos

profert tanti miraculi teſtes. res ſumma & Pontificis lætitia, & aſſeclarum præcipuè ſermone celebratur.

Tres viri illuſtres è mortis faucibus eripiuntur. Cap. XXVII.

Tradit Lau. Ann. Laur. Rieræ.

Iulian. Cæſarinus à lætali morbo ereptus.

Vaiuo. Tranſiluan. a præſenti mortis periculo liberatus.

EOdem fere tempore Aedes Lauretana nobiliſſimis eſt illuſtrata miraculis. Iulianus Cæſarinus vnus è proceribus Romanæ ciuitatis anno huius ſeculi XXX. Boniæ graui implicitus morbo ad vltimum periculi venerat. Iamque à medicis deſtitutus adeſſe ſibi ſentiebat ſupremum diem, cum implorato Lauretanæ Virginis præſidio, repente conualuit. Eodem anno Vaiuoda Tranſiluaniæ ab Abrahimo Prætore Regis Turcarum (Baſſam ipſi appellant) prælio victus captuſque victoris irati iuſſu ex altiſſima rupe agendus erat præceps. Cæterum ille B. Maria Lauretana inuocata, ſeruitium quoque, non tantum præſens ſupplicium euaſit. Nam forte ſermonem de religione cum Baſſa ingreſſus, adeo efferatum eius animum diuina ope mitigauit, vt Barbarus odio in amorem verſo, ipſum cum cæteris Tranſyluanis captiuis dimitteret gratis. Exſtat hodie Laureti tabula ingens egregie picta, auroque exornata, vbi tota res non ſolum coloribus, ſed etiam litteris expreſſa viſitur. Iiſdem fere temporibus Ferdinandus Gonzaga adoleſcens nobiliſſimus Mantuæ præferocem curſu exercebat equum. Quo vehementius concitato effuſus in clathros ferreos vicini templi, B. Mariæ Lauretanæ opem implorat. mira dictu res. Ex tam graui, periculoſoque caſu, extemplò ſanus vegetuſque ſurrexit. Nec voti parum memor, equeſtrem ſtatuam argenteam Lauretanæ Virgini donum tulit. Ipſe autem eiuſdem effigiem Virginis ex argento expreſſam deinceps in omni vita perpetuo ſuſpenſam geſtauit è collo, ſiue miraculi monumentum, ſeu vitæ præſidium. nec fruſtra. in maximis

Ferdinandi Gonzagæ caſus, & Di.

prælio-

prælioꝝ diſcriminibus vir bellicoſus præſentem ſemper Dei paræ Virginis expertus eſt opem. Horum igitur miraculorum fama,& ſimul explorata Lauretanę Domus ex Galilæa, & Dalmatia translatione mire lætus Pontifex enixe inſtare Nerucio cœpit, vt præcipuum ſacroſanctæ cellæ ornamentum quamprimum abſolueret. Sed Deo aliter viſum, qui affecti tam eximij operis nomen Clementi dedit, abſoluti decus alteri reſeruauit. Enimuero in illo tam inſigni opere exſtruendo, & ad culmen (quantum in ipſo fuit) perducendo, adeo præclare Clementis non ſedulitas modo, ſed etiam magnificentia exſtitit; vt haud immerito eum authorem fama ferat: etiamſi Leonis Pontificis ſymbola, inſigniaque voluntaria multis locis operi inſerta cernantur. Clemens quippe nullum omnino inſeruit ſui monumentum, rarum vtique exemplũ,Deoq. acceptum adeo, vt eius haud dubie nutu, tam excellentis operis gloria ſequentem fugeret, fugientem ſequeretur. Clementem porro ferunt, cum ad tergum operis, quod vergit ad ortum ſolis peruentum eſſet, conſultum à Recinetenſibus,vtrum in ea parte Lauretanam hiſtoriam inſcribi vellet, reſpondiſſe, ſatius videri eam hiſtoriam in marmore ſimiliter, vt cætera B. Virginis facta cælari, ſiue quod hiſtoria ipſa per ſe ſatis nota ac teſtata foret, ſiue quod cælata hiſtoria ſatisfactura eſſet litteratis pariter, idiotiſque. Attamen Clementi VIII. Pontifici Maximo, & Cardinali Gallo Laureti Patrono ſummam Lauretanæ hiſtoriæ in marmorea tabula, quæ cælaturæ ſubiecta erat, inſcribi placuit: quo illuſtrius, cumulatius eſſet tantæ, ac tam inſolitæ rei ad poſteros monumentum.

F.Lean-

F. Leandri Alberti de Lauretana Aede teſtimonium. Cap. XXVIII.

Leandri teſti mon.

NOuum per eadem tempora haud ignobilis hiſtorici teſtimonium Lauretanis rebus acceſſit. Leander Albertus homo ex Domiciana familia doctus æque, ac pius in libro, quem edidit de Deſcriptione Italiæ, Picenum deſcribens perhonorificam facit Aedis Lauretanæ mentionem. Quem nos locum ex Etruſco ſermone in Latinum totidem fere verbis conuertimus. Sic igitur ſcribit. Recanatum inter, & mare Adriaticum, non longe à Muſione fluuio cernitur in colle templum S. Mariæ Lauretanæ toto terrarum orbe celeberrimum, quod ſimul cum oppido validis eſt munitum mœnibus. Hic multi ſunt incolæ excipientes hoſpitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus eo votorum perſoluendorum gratia confluunt, cum omnibus anni temporibus; tum maxime vere, & autumno. Equidem de tanto templo dicturus vnde ordiar neſcio. Obuerſatur quippe animo hinc ſumma loci religio, illinc eximia templi opulentia. Enimuero me vires deficiunt conantem dicere de ſanctiſſimo illo, religioſiſſimoque cubiculo, vbi nata, vbi educata eſt cœli Regina ſemper Virgo, ac Dei parens Maria, eademque miſerorum mortalium apud filium ſuum patrona. Vbi Archangeli Gabrielis nuncio Dei mater effecta, appellataque eſt, vbi humanam Deus naturam induit, vt nos ex faucibus inferni Draconis eriperet, cœleſtiſque regni aditum per tot ſæcula, Parentum humani generis vitio, clauſum aperiret. Itaque vt dixi, vnde talis loci deſcriptionem ordiar ignoro. Cæterum vt pijs pariter, curioſiſque lectoribus ſatisfaciam pauca dicam. Principio igitur dubitandum non eſt, quin hoc illud ipſum ſit cubiculum, vbi cœli regina edita in lucem eſt. Nam præter certiſſima litterarum monu-

monumenta, quæ Deiparæ Virginis cubiculum ab Angelis huc translatum eſſe fidem faciunt, nemo eſt tam ferus ac ferreus, nemo tot, tantiſque flagitijs, ac ſceleribus coopertus, qui non in ipſo ſacræ Domus ingreſſu, præſenti numinis cœleſtis religione perfuſus molliri ſuum ſentiat pectus adeo, vt venerabundus B. Mariæ imploret auxilium, ac per eam à Chriſto ſuppliciter oret ſuorum veniam delictorum. Et ſane ad id ipſum humanos animos diuina vis videtur impellere. Ad hæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaque tributa ijs, qui ad Dei parentem ſupplices confugerunt. Id adeo non ſolum litterarum monumenta teſtantur; ſed etiam aurea, argentea, cerea ſimulacra, votiuæ quoque tabellæ, quæ per multas ætates, ac ſecula congeſta viſuntur. Longus ſim ſi velim numerando percenſere diuina prodigia, ac dona inibi impertita mortalibus. Quæ quidem tot tantaque ſunt, vt incredibilia videri poſſint ijs, qui non facile adducuntur, vt credant, maternas à Deo preces audiri. Nec vero hæc magnificentius à Leandro dicta, quam verius.

Lauretana Aedes plurimis, nec vulgaribus colitur donis. Cap. XXIX.

NON alias magis ante, pluribus Aedes Lauretana votiuis floruit donis. In Lauretanæ Domus codicibus reperio, per hæc tempora omnes ferme Piceni populos quotannis ſolitos in ſupplicationibus argenteas Beatæ Virgini coronas ferre ſingulas, binas, ternas, vſque ad ſeptenas, voti aut religionis ergo. Et quia iam ſatis, ſuperque erat coronarum (coronæ quippe tum cenſebantur ad ſeptuaginta) commodatas coronas accipiebant à ſacræ Domus Cuſtodibus, pro his precium ferebant. A pleriſque etiam Piceni caſtellis Cod.Laur.

oppidis

oppidis, vrbibuſque argentea ipſorum ſimulacra in ſupplicationibus præferebantur. Erant illis temporibus partim vrbium, partim oppidorum, & caſtellorum ex argento expreſſa ſimulacra numero duodeuiginti. inter quæ Firmum pondo librarum pene viginti & ſpecie, & precio eminebat. Cæterum hæc quoque alijs populis, quibus deerat aurificis copia, commodata à cuſtodibus in ſupplicationis pompa ferebantur, argento pro his repenſo. Et vterque mos, vel coronarum, vel illius modi ſimulacrorũ vſque adeo increbuit, vt nunc, vel maxime vigeat. Nec ſe Piceni finibus eà tenuit conſuetudo. Iiſdem temporibus Piſaurenſes argenteam Piſauri imaginem miſerunt affabre factam. Nec ea tempeſtate ciuitatum, ac populorum magis, quam ciuium ac nobilium virorum pietas extitit. Aſcanius Columna inter Romanos proceres genere, atque opibus clarus argenteam B. Rochi effigiem libralem, & ſacerdotis ſolemnia ſacra celebrantis amiculum ex textili argenteo, donum Virgini attulit. Cardinalis ſanctorũ Quatuor Coronatorũ caput argenteum pondo ferme quatuor. Comes Rangonus Mutinẽſis, & Io: Frãciſcus Boſsius Mediolanenſis, ſinguli crus argenteũ librale. Pyrrhus Gonzaga eiuſdem materię ac ponderis pedem. Pardus Pappacoda Neapolitanus effigiem ſuam argenteam ponderis duplo maioris. Alexander Calcagninus imaginem ſuam ex argento cælatam trilibrem. Marchio Tripaldæ, lychnum argenteum pari ferme pondere. Magnus Rhodiorum Equitum Magiſter alterum lychnum eadem materia, ſed pondere aliquanto maiore. Vincentius Alfanus Peruſinus ſimulacrum ſuum ex argento expreſſum librarum xv. Alia porro ab alijs (quorum nomina prodita non ſunt) ſigilla ſexdecim argentea, pondo librarum ſeptem, & ſeptuaginta. Sed longe ante alia omnia huius temporis dona excellit Ludouici Giſilardi ciuis Bononienſis effigies argentea pondo amplius quinquaginta. Sacra etiam ſubinde ſupellex aucta. Cardinalis Montinus (qui poſtea Pontifex factus

Argentea ſimulacra Vrbium, & oppidorum XVIII.
Firmi argẽt. ſimulacr.
Piſauri arg. ſimulacr.
Aſcan. Columm. D.
Cardin. SS. Quatt. D.
Comitis Rãgoni D.
Io: Franciſ. Boſſij D.
Pyrrhi Gonzagæ D.
Pardi Pappacodæ D.
Alex. Calcagnini D.
March. Tripaldæ D.
Magni Magiſtri Melit. D.
Vincẽtij Alfani D.
Ludou. Giſilardi D.
Card. Montini D.

ctus Iulius Tertius eſt appellatus) ſacerdotalem veſtem egregiam ex auro textili criſpante donum tulit. Cardinalis Palmerius aræ ac ſacerdotis ornatum ex veſte Attalica. Dux Traiectenſis ſacerdotis, ac miniſtrorum ſolemnibus ſacris operantium veſtes ex holoſerico villoſo violaceo diſtinctas auro. Oliuerius Fagnanus Mediolanenſis ex eadem materia, aræ & ſacerdotis ornatum. Marchio item Bitontinus ex veſte Damaſcena aureis operibus inſignita. Alij quoque alias altarium, ac ſacerdotum veſtes, coronas argenteas, calices, aliaque eiuſmodi, quæ perſequi longum foret, dona Deiparæ Virgini ſeu portarunt, ſiue miſerunt. Nec ea propria virorum laus. Iſabellæ Cardonæ Proreginæ Neapolitanæ corona aurea libralis, & ipſius effigies B. Virgini ſupplicantis argentea, pondo ſeſquilibræ, & pes libralis item argenteus: ad hęc arcula ſcite facta eiuſdem materiæ ponderiſque: bini vrceoli aurei vnciarum XIV. armillæ itidē aureæ benefactæ donū fuit. Marchioniſſæ Vaſti effigies B. Virginis puerum Ieſum gremio geſtantis argentea pondo fere quatuor. Quin etiam à Turcis dona miſſa. Conſtat anno huius ſæculi XXVIIII. Baſſam Turcarum (nomen, & cauſa non proditur) argēteam aræ veſtem, margaritis inſuper adornatam Lauretanæ Virgini donum miſiſſe Clemente Septimo Pontifice Maximo: vt intelligeremus Lauretanam Virginem communem omnium gentium eſſe Patronam, quicumque eius patrocinio vti velit.

Card. Palmerij D. Duc. Traiectenſis. Oliuer. Fagnani D. March. Bitontini D. Proreginæ Neapol. D. March. Vaſti D. Baſſæ Turcarum D. Cod. Laur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HORATII TVRSELLINI E SOCIETATE IESV LAVRETANAE HISTORIAE LIBER TERTIVS.

A Paulo Tertio beneficijs, decretiſque decoratur. Cap. I.

PONTIFICIAM inde ſedem Paulus Tertius excepit, qui Aede Lauretana ornanda, augendaque etiam cum ipſo Clemente certauit. Namq̀ue initio fermè Pontificatus ſui, & Indulgentiis eam, & beneficiis cumulauit. Quippe indignum ratus, ſacræ Domus miniſtros ad vſum domeſticum vix pecunia emptum ſalem habere poſſe; vicenos eis quotannis ſalis ſaccos ex Ceruiæ ſalinis aſſignauit gratuitos, non contemnendum beneficium, ſiue muneris perpetuitatem, ſeu neceſſitatem accipientium, ſiue dantis animum ſpectes. Eminet Pontificis animus in diplomatis prooemio, quod libet attexere: *Poſtquam fel. rec. Xyſtus Papa Quartus prædeceſſor noſter inter alia motu proprio Eccleſiam B. Mariæ de Laureto, olim in honorem ipſius Virginis miraculosè fundata: in qua (prout fide dignorum habet aſſertio) ipſius etiam Virginis glorioſa imago, Angelico comitata cœtu, mira Dei clementia collocata exiſtebat, & ad quam propter crebra, & ſtupenda miracula, quæ eiuſdem Virginis glorioſa meritis, & intercéſsione ibi Altiſsimus operabatur, in dies ex di-*

Pauli III. beneficia.

Pauli III. teſtimoniū.

uerſis

uerſis mundi partibus etiam remotiſsimis, Virginis glorioſæ liberati præſidijs populi confluebat multitudo, & paulo poſt. *Recolendæ memoriæ Iulius Papa Secundus prædeceſſor noſter attendens, quod non ſolum erat in dicta* Eccleſia *de* Laureto *imago ipſius B. Virginis Mariæ, ſed, (vt piè creditur, & fama eſt) camera, ſiue thalamus, vbi ipſa Beatiſsima Maria concepta, & educata, vbi ab Angelo ſalutata Saluatorem ſeculorum concepit*. Cætera item perſequitur, quæ in ſuo diplomate Iulius Secundus poſuerat.

Lauretum Recinetenſium fidei committitur. Cap. II.

PAulus porro haud ignarus, quantum boni ſit in bono Præſide, id ſemper egit, vt optimos Laureto Præſides daret, donum omnium fortaſſe maximum. Alexander igitur Argolus Tarracinenſis Epiſcopus à Pontifice Lauretano Patronus conſtitutus, rem Lauretanã præclare cõſtituit, auxitque. Doctorum, grauiumque hominum cõplures in Canonicorum Lauretanorum Collegium cooptauit. ſacrorum cæremonias ſolemni, ac plane Pontificali peregit ritu, ſumma denique religionis, ac benignitatis laude, diuina, humanaque omnia per quadrienniũ adminiſtrauit. Huic Gaſpar Contarenus Cardinalis, vel ingenij dotibus, vel artibus animi clarus ſucceſſit, Laureti Patronus omnino bonus, ſed mortis interuentu breuis. Nam cum per Galeatium Floremontium (qui poſtea Aquini Antiſtes fuit) rem Lauretanam optimè gereret, ingenti ſui expectatione concitata, ceſſit è vita. Eius in locum ſuffectus à Pontifice Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis Patronus iuxta bonus, ac diuturnus. Qui ſane Pij cognomen, etiam ſi à maioribus non accepiſſet, inſigni ſua pietate fuiſſet ſibi pariturus. Non alius ante impenſius Lauretanam Aedem ornare inſtitit. Itaque eius in

Alex. Argolus Laur. Patron.

Card. Contar. Laur. Patr.

Card. Carpen. Laur. Patr.

Lauretano templo, adiectiſque ædibus hodie monumenta exſtant & multa, & illuſtria. Inter hæc gliſcebat Turcicum bellum, quod Solimanus Turcarum Imperator Tunetano regno per Ariadenum Aenobarbum ſubacto, Italiæ moliebatur. Paulus ergo Pontifex Carolo Cæſare, ac Venetis in ſocietatem adſcitis, in Turcicum bellum omnes intenderat curas vireſque. Cæterum illa tempeſtate Lauretano templo vel in primis conſultum voluit. Et quoniam exhauſto in apparatum bellicum ærario, pecuniæ inopia pijs eius conſilijs obſtabat; occaſionem forte oblatam ſibi è manibus elabi paſſus non eſt. Per idem tempus Recinetenſium legati Romam ad Pontificem venerant expoſtulantes, quod Lauretum, auita ipſorũ poſſeſſio, à Iulio Pontifice ereptum eis eſſet ingenti cum dãno, maiore cum dedecore ciuitatis ſuæ. Quem enim exi-

Recinetenſiũ legatio ad Paulum III. Pont.

„ ſtimaturum à ſacrorum Principe, Chriſtique Vicario, ſine
„ graui aliqua cauſa, antiquiſſimam Laureti poſſeſsionem
„ Recinerenſibus inuitis ademptam? Quo autem ſuo meri-
„ to, tam inſignem optimæ meritæ ciuitati inuſtam infamię
„ notam? An quia Lauretanæ Virginis ſedem impenſe ab
„ initio fouerit, donis coluerit, templo ornauerit, frequen-
„ tauerit tectis, per CCL. prope modum annos iuſtè, ſan-
„ ctèque rexerit? Quando à Recinetenſium Magiſtratibus
„ auarè, aut ſuperbè eſſe imperatum? quando incolarum,
„ peregrinorum templi tutelam neglectam? Iam quoties
„ latronum vias, obſidentium audaciam repreſſam? quo-
„ ties Aedem ipſam magnis armatorum præſidiis ab hoſtiũ
„ incuria defenſam? En cur Recinetenſes libenter memo-
„ rarent, Deipara Virgo natalem domum ſuam in Italiam
„ transferens in noſtra potiſsimum ſylua ſedem elegit: ter
„ intra paucos menſes locum mutans noſtris finibus non
„ excesſit: tres in noſtro agro locos ſuis veſtigijs inſignes fe
„ cit: nos illi ſatis ſpatii ad templum conceſsimus: nos tem-
„ plum, nos vicum circa eam condidimus: nos incolis Ma-
„ giſtratus & iura dedimus. Multum vero iſta eis profuiſſe,

vt eum locum optimo iure poſsidere viderentur : ſi quidẽ ,,
indicta cauſa, ſint de antiquiſſima poſſeſsione deiecti. ,,
Quod ſi æquum videatur, munus à Deo, Deiparaque Re- ,,
cinetenſibus datum à Dei Vicario reddi; profecto ipſos da- ,,
turos operam, vt neque Pontificem, neque Lauretanos ,,
Recinetenſis tutelæ ac regiminis pœniteret. Recineten- ,,
ſes porro, vt vtriſque cautum foret, nullam conditionem, ,,
quam æquiſſimus Pontifex imponeret, recuſaturos. Ergo ,,
Paulus Legatis benignè auditis, medium quiddam ſecutus eſt, vt & Recinetenſibus ſuum redderet, & tamen Aedi Lauretanæ ſuperiorum Pontificum beneficia conſeruaret. Igitur oppidum Lauretum (templo excepto, & ſalua Præſidis iuriſdictione inter oppidanos peregrinoſque) Recinetenſi ciuitati reſtituit, his conditionibus, vt Lauretanam domum aduerſus Turcam valido præſidio tueri, muros, ac munimenta ſicubi opus foret, reficere: peregrinis vltro citroque commeantibus itinera à latronibus tuta præſtare deberent. Ad hæc octo aureorum millia à Leone X. in Laureti munitiones inſumpta Pontificali Fiſco, vnde erant deprompta, remunerarent ad vſum Turcici belli. Ita Lauretum ad Recinetenſium ditionem rediјt ſeculi huius anno xxxv. poſt annum circiter xxx, quam à Iulio II. ſui iuris factum erat. Cæterum exinde Paulus bello perfunctus Lauretanam Aedem præſidijs munitam prædijs locupletauit. Namque eius iuſſu ex Duumuiris Caſtri Ficardi vicina Laureto nemora cum adiacentibus vineis, pratis, oliuetis coempta ſunt. In eam rem ſex aureorum millia ex ærario Pontificis erogata. Alia porrò prædia circa Muſionem amnem à Pontifice empta, & Lauretanæ Virgini donata.

Lauretũ Recinetẽſibus redditur.

Con-

Contubernium puerorum inſtituitur, qui Lauretanæ Virgini laudes canant. Cap. III.

NEc fortunis tantum Lauretana Aedes, ſed etiam miniſtris per id tempus aucta. Pontifex ſatis gnarus integræ pueritiæ preces Deo Deiparæque acceptiſſimas eſſe, Collegium duodecim alumnorum inſtituit. Ibi lectiſsimos ex omni Piceno pueros ingenuos impuberes inſtitui iuſsit, ad laudes B. Virgini decantandas. In his porro legendis, corporum animorumque integritatem ſpectari, in inſtituendis optimorum magiſtrorum rationem haberi voluit. Præcipua erat cura, vt non minus caſtitate morum, quam ſuauitate vocum ſanctiſsimam Virginem delinirent. Ergo hi ex præſcripto Pontificis in opportuno loco (Canonicam vocabant) intentiore cura educati, inſtitutique B. Mariæ carmina in eius ſacello, ſtatis quotidie canebant horis, pacem ac veniam à Deo Deiparaque orantes, & opem Italiæ contra Turcarum rabiem expoſcentes. Nec puerilis pietas Pontificis ſpem, nec B. Virgo pueriles preces feſellit. Et ſi enim fœderatorum Principum claſſem Ducum diſcordia inutilem fecit; tamen Deipara Virgo & otium Italiæ peperit, & Turcarum audaciam fregit. Quippe haud ita multo poſt compoſitis inter Cæſarem, Galliæque regem controuerſijs, ex triſti bello læta repente Italiæ pax reddita. Maxima inſtructiſſimaque Turcarum claſsis Ariadeni Aenobarbi ductu exitium Italiæ ferens, ipſo menſe Auguſto Acroceraunijs illiſa ſcopulis in conſpectu propemodum Aedis Lauretanæ fecit naufragium. Quo naufragio ſatis conſtat maximam claſsis partem amiſſam: viginti barbarorum millia hauſta fluctibus: totumque ferme Adriaticum ſinum hoſtium cadaueribus, armis, tabulis, armamentis alijſque naufra-

Paul. Iou. lib. 41. Ann. Laur. Rietæ.

gii indicijs ſtratum. Quorum arma ad Lauretum fluitantia cognita in littore, prius fere quam nunciari poſſet, inſignem fecerunt hoſtium cladem. Ibi enim vero exſultare Lauretani, aduenæque: auditas profecto à Deo Deique parente preces puerorum piorumque. aperuiſſe aliquando oculos vltorem Turcicæ ſuperbiæ Deum: alius alium hortatione firmare, talem vt Præſidem præcipuo colerent honore, cuius præſidio totam illam Italiæ oram cernerent præſenti Turcarum formidine liberatam.

Noſocomium, & Xenodochium excipiendis peregrinis aperiuntur. ſacra Aedes ædificijs ornatur. *Cap. IV.*

AT Pontifex tali nuncio admodum lætus, ne benignior in indigenas, quam in peregrinos foret; Noſocomium Laureti eadem fere tempeſtate abſolutum aperuit, ægris aduenis præcipue curandis. Alius porro locus ſcabioſis, leproſiſque extra moenia, ne quid cæteros eorum contagio læderet, aſsignatus. Ab ægris inde ad ſanos cura conuerſa, Xenodochium pauperibus peregrinis excipiendis inſtitutum, vbi benigne alebantur per triduum: & diſcedentes pane, vino, calceis, pecunia iuuabantur. Hæc hoſpitalitatis, & Chriſtianæ charitatis fama, mirum quantum vel aduenis religionis, vel Lauretano templo opum adiecerit; cunctis ferme exteris gentibus expertam in ſuis peregrinis Lauretanam benignitatem remunerantibus. Adeo vera in pauperes liberalitas auget magis opes, quam minuit. Deus quippe benignitatis fontem, ne exhauriatur, bonis identidem auget; ac benignis largitoribus benigne ſuppeditat, quod deinceps egentibus largiantur. Nec vero dum exardeſcunt hæc Chriſtianæ caritatis officia, Lauretana opera à Clemente inchoata interim refrixere. Nihilo minus Pauli iuſſu ſyluæ

Noſocomiū & Xenodoc.

Hoſpitalitas Lauretana.

noxiæ

noxiæ cædebantur: nebuloſæ ſiccabantur lacunæ: colles Lauretanæ ſedi officientes ad ſolum diruebantur. Surgebant eodem tempore ædes Pontificiæ: exſtruebatur porticus: templi tholus plumbeis integebatur laminis. magnifica illa ſacroſanctæ Domus cælata cruſta (quæ haud procul faſtigio aberat) præcipuè vrgebatur. Iam peruetuſtum, ac fumoſum lacunar tectumque architectus ex Pontificis authoritate deiecerat. Et quia concamerandi ſacelli ratio exigebat, ſummos etiam parietes ſemicirculis, & pictis fictilibus inſignes pariter cum tintinnabuli, camini que culminibus, demolitus erat. Igitur ſolidus fornix nouis magis, quam veteribus parietibus incumbens, imponitur: nitidus tum quidem, & concinnus erat; ſed hodie propter copiam luminum horridus fumoſuſque. Porro ne ea, quæ ex aûguſtiſsima Virginis cella neceſsitas detraxerat, hominum incuria perderet, ſacras trabes, aſſeres, tegulas, tabulaſque, & quæcunque ad tectum ſanctiſsimæ Aedis pertinebant, ſub eiuſdem pauimento defodi placuit. Itaque hæc cum fide inibi ſunt defoſſa: vt loco mota, quam minimum locum mutarent.

Reliquiæ ſacelli Lauretani miraculis fulgent, & Aedis Lauretanæ religionem propagant.

Cap. V.

CAeterum fictilia, & quædam laqueati tecti tabulæ, pro ſacris reliquijs, vt erãt, aſſeruatæ, partim miraculorum materiam præbuerunt, partim etiam Aedis Lauretanæ religionem longe, ac late propagarunt. Vetus opinio erat, vaſa illa fictilia in armario B. Virginis ab Apoſtolis olim reperta, atque idcirco cum Natalis eius domus conſecraretur, ab ijſdem in ſummis ſacelli parietibus collocari iuſſa non ornandæ magis ædis gratia, quam illorũ religionis tuendæ. Adiuuabant hanc opinionem quædam

non

non leues coniecturæ, quæ multis fidem facere videbantur, fictilia illa in ſupellectili Deiparæ fuiſſe. Namque ea vaſcula (quod ex ijs ipſis, quæ hodie exſtant coniectari licet) haud ſane à vilioribus, vulgatiſque vſu abhorrent: & magnitudine ſunt inter ſe longe imparia, cum tamen cultus ædis, & ſemicirculorum ratio paria vtique poſtularet: vt appareat non tam illa ad ſacelli ornatum eſſe quæſita, quam ad ipſa ornatum ſacelli accommodatum. Verum ſiue illæ patinæ è B. Mariæ ſupellectili, ſiue ex medio ſumptæ ad cellæ ornatum, haud immerito cum ipſa Virginis cella dedicatę religionem habuerunt. Plæraſque tamen earum intercidiſſe reperio, ad propagandam Lauretanæ Virginis religionem, vt reor interuerſas. Nonnullæ in Lauretani Templi pariete ad ianuam, quæ eſt ab latere, inſertę hodieque viſuntur. Paucæ aſſeruantur haud quaquam miraculorum expertes. Compertum habeo Laureti ſacerdotem mihi notum grauiter ex capite laborantem, ſacra capedine capiti admota, ſubito conualuiſſe. Alterum item ſacerdotem graui febri afflictatum, hauſta indidem frigida, extemplo morbum depuliſſe. Porro ſacrarum tabularum reliquię religionem Lauretanæ Domus toto propemodum orbe protulerunt. Quippe vt ſemel diſpertiri ſunt cœptæ, alijs ab alijs diuiſæ ad omnes propemodũ nationes peruenere: ac pro ſacris reliquijs, vt par erat habitæ, mirandum in modum Lauretanæ Virginis auxere cultum, cuius religione imbutas quodammodo illas eſſe conſtaret. Ac veriſimile eſt per hanc occaſionem plurimis locis Lauretanæ Virginis ædes excitatas, ſiue tanti præſidij ad populos monumenta, ſiue ſolatia eorum, quos aduerſa valetudo, aut occupationes, aliaue impedimenta Lauretum ire prohiberent. Satis conſtat per id maxime tempus, non in Piceno ſolum & Italia, ſed etiam in tranſalpinis, diſiunctiſſimiſque regionibus eſſe ſacella Lauretanæ Virgini exſtructa. Quorum conditoribus quid optatius eſſe potuit ad illarum ædium religionem, quam

aliquid ex Lauretana Domo reliquiarum habere? quid conſultius, quam cum ſacros inde lapides auferri religio vetaret, tecti particulam, quam cuſtodum liberalitas haud ægre largiretur, impetrare? Certe per ea ferme tempora plurimas vbique terrarum Deiparæ Lauretanæ ſacras ædes dicatas reperio: quod ſane haud in minimis Laureta næ Virginis laudibus pono, tam gratam iucundamque fuiſſe apud aduenas eius memoriam, vt perpetuum eiuſdẽ monumentum, ac ſimulacrum domi habere voluerint. At que vt de Piceno taceam, cuius nulla vrbs, nullum ferme oppidum eſt, vbi non ædes aliqua exſtet ſacra Virgini Lau retanæ. Nobiliſſimæ quæque Italiæ vrbes eidem non vulgaria templa conſecrarunt. Romæ quidem templum viſitur B. Mariæ Lauretanæ ſane magnificum, & Romana mu nificentia dignum; cuius formam: fama eſt à Michaele Ar changelo Bonaroto Architecto nobiliſſimo eſſe deſcriptã. Neapoli quoque haud inconcinna ædes Lauretanæ Virgi nis viſitur, & quidem orphanotrophio inſignis. Iam in duabus nobiliſſimis Siciliæ vrbibus, Panormi inquam, & Meſſanæ, exploratum habeo ſanctiſſimam eſſe memoriam Virginis Lauretanæ, eiuſque nomini ædem à Panormitanis intra vrbem, à Mamertinis in ſuburbio dedicatam. Nec vero Italiæ finibus ſe tenuit hæc Lauretanæ Domus religio, ſed ſtrenue tranſgreſſa eſt Alpes. F. Vincentius quidam ſacerdos ex Franciſcana diſciplina probus, ac pius fuit. Is Laureto regreſſus in Franciam, in ſuburbio Lauelis (quod oppidum eſt Diœceſi Cęnomanum) ædiculam exſtruxit ad exemplum ſacelli Lauretani, eamque Lauretanæ Virginis nomine appellauit. Hæc hodie quoque, vel ab accolis, vel à peregrinis impenſe colitur. Et Luſitania quamuis celeberrimis, ac religioſiſſimis Deiparæ Virginis ædibus prędita, Lauretanæ quoque ædis religionem ſecuta eſt. Itaque haud procul Conimbrica in ſuburbano, amæniſſimo loco templum Lauretanæ dicauit Virgini, quod quidem maxima etiam finitimarum po-

Aedes Lauretanæ paſſim exſtruct.

Aedes Lauret. Romæ.

Aedes Lauret. Neap.

Aedes Laure. Panormi & Meſſan.

Aedes Lauret. in Fran.

Aedes Lau. in Luſitania

pulorum frequentia celebratur. Brigantiæ item alterum, tertium Olyſippone lōge auguſtiſſimum, quod etſi ab Italis conditum, excultumque magnifice; tamen etiam ab indigenis religioſe frequentatur. Ad hæc optimis authoribus comperi, in Scotia duo B. Mariæ Lauretanæ ſacella exſtructa olim fuiſſe, alterum in oppido Pertho, quod etiam S. Ioannis nomine appellatur, alterum propter viā qua itur Muſſilburgum haud procul Edimburgo vrbe regia Scotiæ. Vtrobique porro Lauretanam Virginem religioſiſſime cultam: in Muſſilburgenſi autem ſuburbano etiam maximis peregrinorum concurſibus, ac B. Mariæ miraculis celeberrimam extitiſſe, quandiu orthodoxa religio in Scotia ſteterit. Poſtea vero quam in illo religioſiſſimo quondam Regno Caluiniana peſtis furere, debacchari que cœperit, ſacram illam ædem ab illis furijs ita dirutam, vt tamen ruinæ exſtarent, vel illorum vęcordiæ, vel auitæ Scotorum religionis indicia. Ac Muſſilburgenſis quidem ſacelli hanc originem accepimus. Scotum heremitam olim peregrini habitu Lauretum ad ſalutandam Virginem acceſſiſſe: inde reducem ſacri tecti particulam ſecum in patriam tuliſſe: ibi corrogata à pijs hominibus pecunia, ad Muſſilburgum Lauretanæ Domus excitaſſe ſimulacrum, eique B. Mariæ Lauretanæ nomen feciſſe: id templum, & ſacrarum reliquiarum, quas diximus inibi depoſitarum cultu, & Lauretanæ Virginis (cuius celebre erat illis quoque gentibus nomen) religione inclytum extitiſſe, quoad vt ante diximus, væſana Hæreticorum rabies ſiuerit.

Aedes Lau. in Scotia.

Cælati operis, quo ſacroſancta Ædes vndique veſtitur, deſcriptio. Cap. VI.

EOdem tempore Lauretanæ Domus cultus, & propagatus foris, & amplificatus domi. Paulus Pont. celeberrimum illud Pontificalis magnificentiæ monumentum ab Iulio deſtinatum, inchoatum à Leone, effectum à Clemente, ipſe non quidem omni ex parte perfectum (deerant quippe ſtatuarum pleræque, & æneæ valuæ omnes) ſed tamen eo perductum, vt abſolutum videri poſſet, aperuit anno huius ſeculi XXXVIII. opus enimuero egregiũ ac mirabile, cui noua hæc operum magnificentia quicquã adhuc in pari mole adæquare non potuit. Satis conſtat ex rationum libris, in id opus XXII. aureorum millia inſumpta, exceptis viginti ſtatuis egregie factis, & valuis æneis quatuor pulcherrime cælatis, quæ pene tantidem ſtetere. Quadratum eſt ornamentum ſacram vndique Virginis cellam amplectens: totum ferme e candido marmore ſolido, ac mira arte cęlato. Patet in longitudinem pedes ferme quinquaginta; in latitudinem circiter triginta: altitudo latitudini ferme par. Vniuerſum opus è Carrarienſi marmore candoris eximij conſtat, ſtriatis opere Corinthio diſtinctum columnis, quarum ſenæ longiora latera adornant, quaternæ breuiora. Imam partem faſcia pedalis e marmore Lucullco cingit, ſtereobatæ locum obtinens. Surgunt inde ſtylobatæ coronati, qui apte ſpatia diſtinguunt. In ſpatijs ſtylobatiſque, vel gentilia, adſcitaue Leonis Pontificis inſignia, vel virtutum argumenta cælata viſuntur, ſigillis, qua pedalibus, qua cubitalibus mire ſcite, venuſteque factis. Supra ſtylobatas columnæ diſpoſitæ binæ ad ſingulos angulos; in longioribus autem lateribus etiam

binæ

binæ in medio, binis videlicet ianuis æquo ſpatio interie ctæ. In ipſis porro intercolumnijs bini item ſignorum ſuis loculamentis incluſorum ordines deinde adiecti: vnus in ferne ad baſes, ſacrorum Vatum: alter ſuperne ad epiſtylia Sibyllarum Chriſti, aut Deiparæ Virginis ortum vaticinantium. Ipſa loculamenta porphyreticis tabulis incruſtata, opere magnifico. In maioribus ſpatijs inter columnarum ſcapos, tabulæ ingentes è candido marmore ſolido integroque vbi nobilium B. Mariæ factorum argumenta, ſimulacris naturalis fere ſtaturæ eminentibus, pulcherrime cælata miraculo ſunt. Epiſtylia porro columnarum egregie facta opere Corinthio multiplex corona cingit, cui ſubiecta ſpatia binæ aquilæ tenentes mordicus encarpos reſteſque pomorum, ac fructuum egregie cælatæ, inter iectis leonum roſtris, adornant. In ſummo denique pulcherrimus columellarum ordo coronatus, angelorumque eminentium figuris concinne venuſteque diſtinctus, qui vniuerſum opus circumiens pro coronide eſt: ambulationemque vndique peruiam præbet, ad ſuſpendenda votiua vexilla, quæ ſubinde B. Virgini afferri ſolent. Pluribus deſcribere pretium operæ nõ duco, cũ ſpectare liceat. Opus omnino viſendum, cuius eximiam pulchritudinem nemo concipere animo poteſt, qui non oculis ante ſubiecerit. Ergo vt apertum ſacroſanctæ cellæ ornamentum longe pulcherrimum fama vulgauit, confeſtim maximi Lauretum fieri accolarum, peregrinorumque conuerſus. Quippe artifices de induſtria illius ædificij fabricam, quoad perfectum eſſet opus, velis obductis quam maxime occultauerant, vt magnificentius deinde ſpectaretur, cum abſoluti operis pulchritudo recens, atque integra ad mortalium oculos perueniret. Itaque inſatiabili illa ſpecie, & ad rationem, ſolertiamque præſtantiſſima, cuncti auide oculos, animoſque paſcebant ſuos.

Tem-

Templi tholus rimas agens firmatur. Cap. VII.

LAetos tali ſpectaculo indigenas, aduenaſque ingens repente inceſſit metus ſubito amittendi, quod ſumma cum admiratione, ac voluptate ſpectabant, & (quod caput eſt) etiam illud ipſum, cuius id erat ornamentum. Baſilicæ teſtudo (cui ſubiectam in medio ſpatio ſacram Virginis cellam diximus) ſtabat octo lateritijs innixa pilis. Attamen ſiue ſuperſtructorum parietum altitudine, ſiue nimio impoſiti plumbi pondere degrauante, ſuccumbere oneri, & rimas agere repente cœpit, nouo cellæ ornamento, cellæque ipſi cui imminebat, fœdam ruinam minitans. Tam trepido nuncio excitus Pontifex extemplo Antonium Sangallum architectum ſuum maturare Lauretum iubet, & ſumma ope tanto illi incommodo obuiam ire: ne tot annorum, tot Pontificum labor momento temporis ad nihilum recideret: & duo pręcipua orbis terræ, alterum diuinæ poteſtatis, alterum humanæ artis miracula, ſubita templi ruina opprimeret. His plenus vocibus Sangallus Lauretum aduolat, & re cum Nerucio architecto communicata, confeſtim de communi ſententia pilas tanto oneri impares intentiore cura munire, ac firmare aggreditur. Igitur validis trabibus teſtudinem protinus fulcit: & circum effoſſis ſtrenue fundamentis, pilas impigre conueſtit quadrato lapide, firmatque quatuor inter alternas pilas arcubus minoribus exſtructis, qui ſuper impoſito oneri ferendo forent. Ac ne quid munimenti non neceſſarij tantum, ſed etiam opportuni prætermitteretur, pilæ quoque ac parietes inter ſe ingentibus vectiбus ferreis colligati, ſed ita, vt vectes ipſi aut nuſquam, aut non indecore appareant: cætera quoque ita perfecta,

ɛta, vt non magis firmitas, quam ſpecies quæſita videatur. Et ad celeritatem operis haud parum fabrorum, architectorumque ſolertiam iuuit ſedulitas aduenarũ. Quippe ingens eorum multitudo auertendi periculi, quod Lauretanæ Domui imminere credebant, certatim conuectare lapides, ferre onera, machinis operam dare, læti ſe operam ſuam nauare Virgini Lauretanæ, ſanctiſſimæ orbis terrarum cellæ, perfugio omnium gentium, nationumque. ita tota res omnium opinione celerius perfecta, & imminens ſanctæ Domui periculum non magis conſilio, quam celeritate diſcuſſum.

Nouis Lauretana Ædes donis augetur. *Cap. VIII.*

PEr id tempus magna à nobilibus viris, ac feminis do- [Cod. Lau.]
norum vis fuit. A Franciſco Sfortia Mediolanenſi [Ducis Mediol. D.]
Duce poſtremo, ſacerdotis ac miniſtrorum ſolemni cærimonia ſacris operantium amictus egregij ex veſte Attalica, magnificis operibus picta, Lauretanæ Virgini dono
miſſa. A Sigiſmundo Eſtenſi Ferrariæ Duce Herculis fi- [Ferrarienſis Ducis D.]
lij effigies argentea pondo fere quatuor: ſua quoque effi-
gies ex argento librarum nouem. A Baſſano Mantuano [Baſſani Mãtuan. D.]
ſuum ſimulacrum ex argento expreſſum, pondo amplius
octo. Ab Honorio Sabello corona argentea ferme trili- [Honorij Sabelli D.]
bris. Ab Octauio Farneſio crux aurea ex aureo torque [Octauij Farneſij D.]
pendula. A Bonifacio Caetano Duce Sermonetæ argen
tea effigies Lauretanæ Virginis, atque altera filij ſui pon- [Ducis Sermonetæ D.]
dere non contemnendo. Ab Hercule Maria Sfortia duæ [Her. Mariæ Sfortiæ D.]
ex argento expreſſæ imagines, ſingulæ octo librarum. A
Bernardino Sanquinio Neapolitano ſimulacra bina ex ar [Bernardini Sãquinij D.]
gento cælata, pondo ferme quatuor. A Leonardo Bona- [Cortonẽſis]
fide Epiſcopo Cortonenſi ipſius imago argentea quatuor [Epiſc. D.]
libra-

Iulij Monaldi D.

librarum. A Iulio Monaldo Mantuano conſimilis imago pondere ac materia par. Cæterum inter omnia huius temporis ſimulacra eminet Pompilij cuiuſdam Bononienſis, viri Deo magis, quam hominibus noti (neque enim editur cognomen) effigies Ducis armati ſolido ex argento egregiè facta, pondo librarum quadraginta. Porro ab Antonio Pignatello Neapolitano torques aureus; alter ab Ludouico Comite Fulginate. A Leonardo Venerio Senatore Veneto calix argenteus pondere atque opere egregius. Nec contemnenda illuſtrium mulierum dona. Margaritæ Auſtriacæ Cæſaris filiæ cor argenteum bilibre. Cõſtantiæ Ducis Amalphetanæ ipſiuſmet effigies argentea librarum pondo fere quinque. Proreginæ Samnitium armillæ aureæ pulcherrimè factæ. Principis Biſinianenſis caput aureum librale. Alterum eadem materia, ac pondere caput Portiæ Comitis Populi. Mariæ Aragoniæ Marchioniſſæ Vaſti argentea adoleſcentis effigies librarum trium. & dono cauſa inſcripta his litteris:

Pópilij Bonon. D. egregium.

Antonij Pignatelli D. Lud. Comitis Fulg. D. Leonar. Venerij D.

Margar. Auſtr. D. Duc. Amalphetanæ D. Proreginæ Samnit. D. Princip. Biſinian. D. Comit. Populi D. Marchioniſſ. Vaſti D.

MARIA ARAGON. MARCH. VASTI.
OB RESTITVTAM SANITATEM
ANTONIO ADOLESCENTI FRATRIS F.
VOT. POS.

Iuliæ Veranæ Vrbinatium Ducis cor aureum ponderis haud pœnitendi. Nec ciuitatum, oppidorumque dona deſiderata. Allatum Vici Varronis oppidi ſimulacrum argenteum librarum trium: Sarnani item ſimulacrum eiuſdem materiæ, ponderis triplo maioris. Macereti corona ex argento inaurato præclarè facta bilibris. Alia porro dona ab ignotis authoribus haud tamen ignobilia. B. Rochi ſtatuæ argenteæ ſex ponderis non contemnendi. Coronæ argenteæ circiter quadraginta, ex quibus pleræque librales, multæ bilibres, nonnullæ etiam trilibres, ab vrbibus, oppidiſque magna ex parte donatæ. Votiuæ item imagi-

Duc. Vrbinatium. Vici Varronis ſimulac. Sarnani ſimulac. Macerat. D.

B. Rochi ſtatua ſex arg. Coronæ argent. XL.

imagines argenteæ (quarum plurimæ ſingularum, multæ binarum, ternarumque librarum) ſupra ſexaginta. Calices argentei haud multo pauciores. Quin etiam altariū, ſacerdotumque ſacrificantium veſtes complures, non ſericæ tantum, ſed argenteæ, aureæque. Miræ quippe elucet in donantium pleriſque ſimplicitas. Donorum plurima (vt ex codicibus donorum apparet) clàm ſuper aram poſita ſunt: aut tacitis donantium nominibus tradita. Multa ſuppreſſis ipſorum cognominibus, & pro iis, patriæ cuiuſque nominibus editis. quæ ſimplicitas etiam in plurimis donorum titulis cernitur; vt ſatis appareat noluiſſe illos (quod Chriſtus vetat) *ante ſe tuba canere*; vt præconium ac præmium pietatis ſuæ non ab hominibus acciperent, ſed à Deo, *qui videt in abſcondito*, expectarent.

Votiuæ imagines LX.

Calices argentei LX.

Donantiū ſimplicitas.

Turmæ equitum Præfectus abreptus impetu fluminis euidenti periculo eripitur.

Cap. VIIII.

EST in agro Reatino (Italiæ vmbilicum vocant) lacus haud ignobilis, quem Velinus amnis efficit, à quo nomen trahit. Hinc Velinus emerſus aliquanto ſpatio lenis, ac placidus fluit. inde ex altiſſima rupe per ſcopulos & ſaxa præcipitans in ſubiectā petram ingenti fragore, ac ſtrepitu aquarum cadit. vulgo Pediluci ruinas appellant. Haud procul rupe, quam dixi, turma equitum Petri Aloiſij Farneſij (is tum Caſtri Dux erat) forte ducebatur. Turmæ Præfectus (Mareſcallum appellant) Petrus Terennaticus Senenſis erat. Hunc cupido inceſſit ſpectandi propius amnem ex alto cadentem. Igitur duobus equitibus aſſumptis, ad locum, vnde Velinus præcipitat, viſendi ſtudio diuertit. Iamque potaturus equus flumen intrarat, cum procedens paulatim in profundum gurgitem

Tradit. Lau. Bern. Cyril. Riera in Annal. Laur.

prouexit incautum. Nec mora. ſenſit ſe à profluente abripi in præcipitem locum, quem ſpectaturus aduenerat. Iamque aquarum impetu ex equo deturbatus haud procul aberat interitu; cum Lauretanam Virginem lacrymabundus implorat. Nec ſurdis auribus preces adhibitæ. Extemplo in ipſa fluminis ruina B. Virgo adeſt periclitanti; porrectaque dextra præcipitem inter vndas, ac ſcopulos ſuſtinet, tueturque donec ad ima perueniat. mira dictu res. ex altiſſima rupe deuolutum ſcopulus excepit, reddiditque innoxium. Igitur confeſtim Lauretum ad vota Deiparæ exſoluenda venit: votiuamque tabellam, in qua tota res ordine perſcripta eſt, tanti miraculi teſtem exſtare voluit: quæ hodie ad dextram ſacroſancti ſacelli in pila ſuſpenſa viſitur. In tabella inſcriptum. *Ego Petrus Terennaticus eques, & Mareſcallus equitatus Ducis Caſtrorum, & cæteri equites ex Piceno ad Vicum Varronis proficiſcentes, cum Nonis Martij M. D. XLIII. ad Velinum lacum perueniſſemus; ego, & duo alij milites, Tiberius ex Grauiſcis, & Antonius Cortonenſis à cæteris equitibus diſceſſimus, vt illum viſeremus locum, quo ſe Velinus in Nar præcipitat. Ac non procul inde, cum equum adaquarem, ego vna cum equo in quaſdam fluminis anguſtias incidi, ex quibus præcipitem altiſſimo caſu, circiter videlicet centum cubitos altum, & Deiparæ Virginis Lauretanæ opem implorantem quidam me ſcopulus excepit incolumem, & rei miraculo admirabundum, atque attonitum. Quapropter illico votum perſolui Beatiſſimæ Virgini, quam tum præſentem, propitiamque ſum expertus, teſtibus oculatis duobus Centurionibus Chianciq Vrbeuetano, & Raimundo cum vniuerſa equitum ala.* Hanc nos inſcriptionem ad verbum inſeruimus, vt quam teſtatum certumque ſit hoc miraculum, magis appareat.

Paulus

Paulus Tertius Lauretanam Ædem bis inuiſit, Pontificiarum ædium opus vrget. *Cap. X.*

INter hæc Paulus Pôt. Aedis Lauretanæ celebritatẽ prę- clatis ab ſe operibus adornatam ſuæ præſentia cohone ſtauit, ratus ab ſe Principibus viris prodendum exemplum non ſolum ornandi cunabula Virginis, ſed etiam celebrandi. Itaque intra triennium ipſe bis Lauretanam Virginẽ inuiſit: ſemel anno eius ſeculi XLI, cum diſſuaſor Algerianæ expeditionis ab vrbe Luca, & à congreſſu Cæſaris per Aemiliam ac Flaminiam ad Vrbem rediret: iterum triennio ferme poſt, cum Cæſari poſt Algerianum incómodum, ad Belgicum bellum properanti occurreret Bononiam. Tum enim Pontifex maturata, vt in tempore occurreret, profectione, Pontificiam ditionem obiens venit Lauretum. Vtroque autem tempore, & immortalem hauſit ex Lauretana Aede lætitiam, & præclara B. Virgini dona attulit. Pontificales altarium & ſacerdotales veſtes aureas, argumenta religionis, ac munificentiæ ſuæ. Cæterum haud mediocre ſuæ magnificentiæ fructum cepit, cum ex cæterorum operum ſuorum aſpectu, tum vero ex magnificentiſſimi operis, quo ſanctiſsimum ſacellum extrinſecus conueſtitur, inſatiabili ſpecie. Exinde obſtantis Fauonio collis æquandi difficultatem cótemplatus, ratuſque id eſſe non ſumptus tantum, ſed etiam laboris infiniti, commodi autem labori minime paris; dixiſſe fertur, parcendum eſſe inani labori: inſiſtendumque vtilioribus, verioribuſque ſedis Lauretanæ commodis, quę expectationi hominum reſponderent. Proinde ab æquando colle ad exſtruendas Pontificias ædes Principum virorum hoſpitio deſtinatas, curam operamque conuertit. Ergo breui maxima eius ædificij pars abſoluta, expolita,

Ann. Laur. Raph. Rier.

Pauli III. Dona.

inſtructaque adeo magnifice, vt in ea etiam Reges, ac Pontifices Maximi laute diuerſari queant. Ex tribus ædiũ partibus vna tum perfecta eſt, quæ ad dextram templi ſita ab ortu ſolis in occaſum porrigitur. Eius longitudo cẽtum cubitorum, latitudo viginti quatuor ſpatium æquat: ad XXV. cubitos ſummum faſtigium peruenit, præter ingentes ſubſtructiones æquando ædificio à Septentrione additas. Huic parti adiecta duplex porticus ſane regia, quæ arcubus quindecim totidemque fere ingentibus pilis interiectis longiſſime exſpatiantur ſuperne, inferneque. opus iuxta ad aſpectum, & ad vſum inſigne, atque præclarum.

Ædes Lauretana ſacellis pariter, & cæleſtibus prodigijs decoratur.

Cap. XI.

Card. Carp. ſacellum. NOndum hæc Lauretani ædificij pars à Pontifice abſoluta erat, cum Baſilicæ ſacella exornari à Principibus viris cœpta ſunt. Huius rei princeps Rodulphus Pius Cardinalis Carpenſis fuit, qui, vt ante diximus, in Lauretanæ Domus tutela Cardinali Contareno ſucceſſerat. Is igitur vere pius Sacellum aſſeruando, miniſtrandoque ſanctiſſimo Chriſti corpori deſtinatum egregijs picturis opere marmorato, inauratoque adornauit. Huius exemplum alios deinceps Proceres ad æmulandum pietatis decus accendit. Biſiniani Princeps S. Annæ, Archiepiſcopus Altouitus B. Virginis Eliſabetam viſentis, Cardinalis Tridentinus Roſarij, Card. Auguſtanus S. Ioannis Baptiſtæ ſacella exornarunt, laudatiſſimorum quà pictorum, quà plaſtarum operibus. Eminet tamen longe inter hos Vrbinatium Ducis magnificentia, qui ſacellum ſuum non ſolum candido marmore mira arte cælato decorauit; ſed pulcherrimis picturis Barocij, & Zuchari nobiliſſimorum

Biſinia. Pri. ſacellum. Archiep. Altouiti ſacel. Card. Trid. ſacellum. Card. Aug. ſacellum. Ducis Vrb. ſacel. exim.

picto-

pictorum manu. Dum templum certatim à mortalibus ornatur, immortalium ornamentis omnino non caruit. Sub id tempus reperio vetus Lauretanæ flammæ prodigium nouo modo inſtauratum. Ignea per noctem velut columna viſa ingenti ſplendore collucens Lauretano incubare templo: inde Maceretum verſus (oppidum eſt Piceni nobile in primis à Laureto millia paſſuum quatuordecim) paulatim progredi: demum ſuper templum S. Mariæ cognomento Virginum in ſuburbano Maceretenſi conſidere. Id prodigium à Franciſcanis Capucinis ſuburbani cœnobij intentius, ſæpiuſque obſeruatū, cum à matutinis diuinarum laudum officijs ante lucem de more ad orandum Deum recepiſſent ſe in proximam ſyluam. Ab ijſdem deinde vulgatum ratis B. Mariam cœleſtis flammæ ſpecie lapſam è cœlo in ſuam natalem domum: deinde ad alteram ſuo nomini dicatam ædem proceſſiſſe, vt eo argumento fidem faceret mortalibus, illam quoque ædem ſibi eſſe cordi. Et inſolita miraculorum in illa æde ſubinde patratorum copia haud dubiam cœleſti prodigio addidit fidē. Hoc prodigium illum ipſum annum nobilitauit, qui Pauli Tertij Pontificis deceſſu inſignis fuit. Is quippe indicta in annum quinquageſimum Iubilei celebritate, ipſe mortalitate exutus ad vitam tranſijt immortalem, Iubilei cura, ac laude ſucceſſori relicta. *Ann. Laur. Ricra.*

Iulius Tertius Collegium Societatis Ieſu Laureti inſtituit. Cap. XII.

IVlius inde Tertius ſuperiorum Pontificum ritu, Lauretanæ Domus Indulgētias, immunitates, beneficia, ſua firmauit authoritate. Ac memor diuinæ illius vocis *Domū tuā decet ſanctitudo Domine.* Cleri, populique Lauretani mores legibus per Cardinalem Carpenſem latis compoſuit ad ſanctitatem. Exinde ab incolarum diſciplina ad *Ann. Laur. Ricr.* *Iul. III. Pō. benef.*

ornatum

ornatum loci cura Pontificis verſa:ſacra ab eo ſupellex ſatis aucta: marmorei gradus in templi veſtibulo excitati: atrium ad loci munditiem laterculo ſtratum: nonnullæ etiam priuatæ ædes, vel ad plateæ ſpeciem, vel ad incolarum commoditatem è regione porticus, de qua diximus, exſtructæ. Ad vltimum ſumma, tectoque proxima Pontificiæ domus contignatio, rudis antea ac deſerta, ad habitandum ſatis exculta, eaque Societati Ieſu attributa. Pontifex quippe probe gnarus prauorum morum emendationem ex bene inſtituta confeſſione, fructum piæ peregrinationis eſſe vel maximum; Lauretano templo cunctarum gentium peregrinationibus celeberrimo idoneos prouidere Pœnitentiarios ſtatuit. Etſi enim non deerant ſacerdotes pij doctique tamen eorũ ſiue paucitas, ſiue peregrinarũ inſcitia linguarũ minus vtique proficiebat, quam opus erat. Itaque Pontifex omnia circumſpectans demũ Cardinalis Carpẽſis admonitu, optimũ factu exiſtimauit, Patres Societatis Ieſu Lauretanis ſacerdotibus adiũgere: vt eſsent qui linguæ cõmercio peregrinos allicerẽt ad expiationem animorum, & ſimul aduenarum confeſſionibus aſſiduam, ſedulamque operam darent. Duodecim ſocij ad eam rem lecti. His alendis quod ſatis eſſet ex Lauretanæ Domus facultatibus aſſignatum: ſedes in ſuprema ædium parte, quæ tum vacabat, vt diximus, attributa anno huius ſeculi LIIII. Hęc initia Collegij Lauretani Societatis IESV parua quidem, ſed haud paruo incolarum, & peregrinorum bono. Præcipua Patrum cura erat, peregrinorũ, ac tranſalpinorum animos confeſſione expiare: agreſtes homines Chriſtianorum myſteriorum rudes informare: omnes ad piæ, Chriſtianæque vitæ ſtudium accendere. Quam porro eorum opera, vel indigenis, vel aduenis frugifera ac ſalubris extiterit, ſatius eſt alijs cogitandum relinquere, quam me litteris prodere. Cæterum hoc Patrum Collegium non mortalibus ſolũ, ſed etiã B. Mariæ cordi fuiſſe incrementum eius, maiorque in dies progreſſus oſtendit.

Cœleſtia flammarum prodigia Laureti renouata. Cap. XIII.

HAud ita multo poſt cœleſtia prodigia longe maiorem ſolito mortaliũ multitudinem conciuere Lauretum, & expiandam Patribus, excolendamque præbuerunt. Non dum vertente anno, nocturni ignes tanquam ſtellæ, viſi erumpere è Lauretanæ Baſilicæ tholo; ac verſus Montem Filatranum (pagus eſt Laureto proximus) ſenſim velut agmine quodam procedere. Ibi ſupra vetuſtam B. Mariæ ædiculam, quaſi choreas in orbem agitare aliquandiu, denique ad Lauretanam Aedem vnde diſceſſerant, recipere ſe. Id primo à paſtoribus eius pagi accolis, inde horum indicio etiam ab incolis notatum populoque vniuerſo, tanta quidem omnium admiratione, vt ſtupor quidam cunctorum animos occuparet. Nec breue, aut fugax ſpectaculum erat, ſed diuturnum, ac prope ipſi æquale nocti. A ſecunda enim ferme noctis hora, vſque ad primam auroram tenebat. Itaque complures rei propius viſendæ auidi ad eum accurrebant locum, qui cœleſtibus ignibus collucere videbatur. At vbi eo ventum erat, repente mirabilis illa ſpecies eminus conſpecta ſubducebatur oculis cominus intuentium, cum tamen eodem ipſo tempore proſpectantibus appareret. Quæ cœleſtium luminum fama celeriter, vt fit, toto Piceno vulgata, ad tam iucundum ſpectaculum finitimos exciuit populos. Per noctantes igitur ſub dio opportunis ad ſpectandum locis, cœleſtes flammas ex Aede Lauretana emicare, ſupraque ipſorum capita ferri videbant, haud minore admiratione, quam gaudio. Nec vana illa fuiſſe ſpectacula, mox miraculorum oſtendit euentus. Conſtans fama eſt, mortalium complures ædiculam illam ingreſſos, Dei Deiparæque Virginis dono, varijs depulſis morbis, domos ſuas reuer-

Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.

reuertiſſe incolumes: Ex quo numero claudos, ſurdos, herniofos, & energumenos fuiſſe. Sentires illas Lauretanorum luminum in alia B. Mariæ templa excurſiones hoc ſignificare mortalibus, Lauretanam Aedem longe, & faſtigio, & dignatione inter alias eminere: quod in illis B. Maria diuerſari, hic quodammodo habitare videretur.

Flammæ cæleſtes in ipſo etiam templo Lauretano viſæ.
Cap. XIIII.

Tradit Lau. Ann. Laur. Riera.

NEc foris modo, ſed etiam intra ipſum templum cœleſtes flammæ quandoque viſæ. Anno inſequenti, qui fuit M. D. LV: cum vnus è Patribus Societatis Ieſu in Lauretana Aede concionem de more haberet ad populum, luce palam, plurimis inſpectantibus, ignes quidam haud obſcuri coelo delapſi ſacroſanctum ſacellum inſedere: mox inde diffuſi circumire concionem: denique cunctis rei miraculo ſtupentibus, recipere ſe ſe in coelum. Ea res, vix credibile eſt, quantum intuentium animis mistæ gaudio religionis incuſſerit. Aderat forte in turba Raphael Riera Sacerdos è Societate Ieſu doctus iuxta, ac pius, qui hoc ipſum, & alia deinceps plurima ad Lauretanam hiſtoriam pertinentia memoriæ prodidit. Is tum rei miraculo, ac nouitate attonitus, repente humi procubuit venerabundus. Cumque Deo, ac Deiparæ grates ageret, à quibus tali dignatus eſſet ſpectaculo; tantã cœleſtis gaudij copiam in præſentia hauſiſſe ſe tradit, vt complures deinceps durauerit dies, pectore Dei caritate, & B. Mariæ religione ſemel accenſo. Neque vero id vni ſibi contigiſſe ait, ſed alijs compluribus, qui à concione idem ſibi quoque accidiſſe, & ſermonibus, & geſtibus, & ſcilicet lacrymis teſtarentur. adeo inſolita lætitia ſacro horrori miſta ex vultu, oculis, geſtibus corporis eminebat. Haud vanam

nam fuiſſe ſpeciem iteratio miraculi fidem facit. Biennio poſt vnus item è Patribus ſermonem de more ad Canonicos, & circumfuſam multitudinem habebat: plerique Patrum confeſſiones excipiebant aduenarum: nonnulli in auguſtiſsima Virginis cella Deo ſupplicabant;cum repente è ſummo tholo coeleſtis flamma, cometæ inſtar, emicare viſa dicitur; atque inde ſupra ſacellum lapſa,parumper ibi ſtetiſſe: hinc ad concionem progreſſa, cunctis miraculo ac ſtupore torpentibus gratum præbuiſſe ſpectaculum: Demum flexo in diuerſum curſu,ad deſtinatum confeſſionibus locum (Poenitentiariam appellant) ſupra ſacerdotum, confitentiumque capita diſcurriſſe: ad vltimum ſupra Chriſti crucifixi imaginem, quæ in ſanctiſsimo ſacello religiosè colitur, pauliſper morata ſublimis abijſſe, omnium qui oculis coeleſtem illam flammam hauſerant, pectoribus inflammatis.

Duo Capucini fluctibus maris eximuntur. Cap. XV.

NEc alia per id tempus defuere miracula, ex quibus nos (quod noſtrum inſtitutum fert) maximè illuſtria referemus. Anno circiter M. D. LIII. Franciſcani Capucini duo, Lauretana Virgine ſalutata, ex Ancona ſoluerant in Dalmatiam traiecturi. In medio curſu atrox coorta tempeſtas præſens omnibus intentabat exitium. Igitur Nauarchus ad leuandam onere nauim verſus iactu ram vaſorum, ac mercium facere. Franciſcani in nauis angulo diuinam iram precibus placare coeperunt. At inſtitores, ſiue damni dolore amentes, ſeu diabolicis inſtincti furijs,in Franciſcanos illos periculi,vt videbantur,ſecuros rabiem vertunt. Enimuero illorum vitio procellam exortam, eorundem exitio ſedandam. Hæc vociferantes cooriuntur; in inſontes impetum faciunt; comprehenſos

Trad. Lau. Ann. Laur. Rier.

in mare deturbant. At illi Lauretanam Virginem, quam ingruente periculo inuocauerant, inter fluctus inclamare pergebant. mira dictu, viſuque res. Extemplo diuina quadam vi eos ſubleuatos cerneres toto exſtare pectore: ſupiniſque manibus Dei Deiparæque laudes certatim canentes in ipſo exaſperati maris impetu placide ferri. Itaque breui ducente, ac vehente Deo, Anconæ portum pariter tenuerunt. E veſtigio in madidis veſtibus, vt erant, Lauretum ad agendas B. Mariæ grates regreſsi proſternunt corpora ante eius effigiem: obortiſque lacrymis enixe Deo ac Deiparæ grates agunt. Ex Lauretanorum cuſtodum numero Bernardinus Galiardus erat, vir haud vana fide, idemque antiquus Capucinorum hoſpes: apud quem illi, & priuſquam Anconam peterent, & inde Lauretum reuerſi diuerterant. Hic igitur Franciſcanos, quos dixi, ſalo perfuſos hoſpitio recepit: & illi cauſam ſciſcitanti hoſpiti tandem rem omnem, vti geſta erat, expoſuerũt hac lege, vt ipſorum nomina ſilentio premerentur. Galiardus itaque ſuppreſsis illorum nominibus, rem deinceps aliis, vti ipſe acceperat, enarrauit.

Addoleſcens ex fluminis verticibus eripitur. *Cap. XVI.*

Trad. Laur. Ann. Laur. Rich.

HAud leuius periculum in flumine alius vitauit, quã Franciſcani in mari vitauerunt præſidio Virginis Lauretanæ. Angelus Autanus ex agro Salernitano egregia indole, ac pietate adoleſcens in Vulturnum amnem, qui Capuam præterfluit, abluendi corporis gratia, cum æquali, gregalique ſuo deſcenderat. Cæterum eius ſocius dum incaute progreditur, cæcos delatus in gurgites haud procul aberat exitio. Accurrit impigre Autanus opem periclitanti laturus: ſed ipſe quoque idem periculum incurrit, quo fruſtra iam eximere alterum conabatur. Iamque

vorticibus prærapidi fluminis hauſtus è fundo ſemel emer ſerat, cum B. Mariam Lauretanam, vtcumque poteſt, ſemiuiuus inclamat. Nec irritæ ceciderunt preces. Repente B. Virgo vocata adfuit: & iuuenem gurgiti ereptum, iamque prope exanimatum gremio excipit, ac ſupra flumen ad mille paſſus delatum in opportuna ſtatuit ripa. Ille diu hæſit periculi pariter, miraculique ſtupore attonitus. Inde vt primum ex pauore animum recepit; coeleſte agnoſcens beneficium procumbit in genua: & B. Mariam liberatricem ſuam impenſe ſalutans grates laudibus miſcet. Protinus Lauretum petit, Deiparam colit, miraculum prædicat.

Puella Lauretana è puteo: ciuis Caietanus è carcere liberatur. Cap. XVII.

NEc Lauretum ipſum Patronæ ſuæ opem non ſenſit in pari ſuorum diſcrimine. Parua puella ad puteum, qui in ædibus Lauretani Præſidis erat, de more acceſſerat aquam hauſtura. Iam ſitulam fune religatam demiſerat, & aquæ plenam incauta feſtinatione reuocabat; cum vaſe degrauante, ipſa vltro in puteum deuoluitur B. Mariã inclamans. Vidit forte de feneſtra vnus è præcipuis S. Domus miniſtris cadentem puellam: eique B. Virginis implorauit opem. Protinus ipſe cum domeſticorum manu decurrit ad puteum. Mirum dictu. illam conſpiciunt incolumem, lætamque ſummæ incubantem aquæ. Igitur properè maiorem ſitulam cũ valido fune demittunt: puellamque quid facto opus ſit monitam extrahere connituntur. Iamque illa ſitulæ inſiſtens, & funem manibus tenens ad os putei attracta peruenerat: multorumque eam manus petebant opem laturæ. at illa inter tot manus anceps conſilii, dimiſſo perperam fune, nullaque comprehenſa manu, eodem recidit. Cæterum omnibus qui ade- Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.

rant Deiparam inuocantibus, ad aquam peruenit innoxia: & ſi multa ſuberant fragmenta teſtarum. Itaque illi ad vltimum ſcalis demiſsis, ſegniore, ſed tutiore via eam educunt. Narrauit deinde puella, labenti ſibi in puteum Virginem eximia ſpecie præſto fuiſſe, cuius manibus exceptam ſemet innaſſe aquæ, ſine vllo prorſus incommodo. Idem quoque ſibi denuo cadenti vſu veniſſe. Quippe ipſam B. Mariæ exceptam manibus ſuper aquas in gremio Diuæ ſediſſe; quoad ſcalæ conquiſitæ, colligatæque demitterentur. ita duplici miraculo ſeruata, haud leue præſidii Lauretanæ Virginis documentum extitit. Nec leuius eiuſdem præſidii argumentum Romæ vir fuit, quam Laureti puella fuerat. Caietanus quidam honeſto loco natus, ſed animo parum forti, ac virili fuit. Is cum falſo homicidij crimine coargueretur à teſtibus, (vt erat natura, vſuque delicatus) inſolito tormentorum aſpectu conterritus, maluerat, vt ſæpe fit, falſum confitendo, ſupplicium ſubire, quam inficiando inter tormenta, vitare. Igitur morti addictus ſacra confeſſione animi labes abſtergit. Ibi Sacerdotis hortatu cauſam ſuam cœleſti committit Iudici: Lauretanæ Virginis opem expoſcit. Auditæ preces. Haud ita multo poſt dulci oppreſſus ſopore viſus eſt ſibi videre Virginem Lauretanam, quæ bonum animum habere iuſſo certam ſpem ſalutis, ac libertatis oſtenderet. Nec mora. innocentia hominis diuinitus patefacta: authores ſceleris, falſique criminis artifices conuicti: in ipſos pœna verſa, quam parauerant innocenti.

Baſſa Turcarum à Lauretana Virgine curatus, eam muneribus colit. *Cap. XVIII.*

Tradit Lam. Ann. Laur. Riera.

NEc barbari Lauretanæ opis expertes fuere. Corcutus Turcarum Prætor (Baſſam ipſi vocant) anno

M.D.LII.

M. D. LII. Conſtantinopoli cum eſſet, ex graui, occultoque pectoris apoſtemate ad extremum venerat vitæ diſcrimen. Apud eum ſeruitutem ſeruiebat Chriſtianus vir bonus, ac pius. Qui Domini periculum ſuę libertatis occaſionem ratus Prętorem adit moribundum, & de B. Marię Lauretanæ admirabili vi, in morbis cuiuſque generis depellendis edoctum, bonæ implet ſpei. Igitur haud ægre eum perpulit, vt ſecum Lauretanam Virginem inuocaret vouens ſi morbum depuliſſet, ſe in eius gratiam illi ſeruo libertatem daturum. Nec ſeruus Dominum, nec Maria piũ ſeruum fefellit. Protinus dirupto apoſtemate Prętor ſanatur, & extitit ab eo quoque fides. Extemplo ſeruum illũ libertate donatum cum litteris, ac muneribus Lauretum ad Virginem deſtinat. Munera fuerunt, mantile egregio opere, ingentes cerei, argenti vis non parua, arcus, & pharetra prępclara cum ſagittis, non tam precio, quam donorum nouitate, donantiſque admiratione grata, & accepta. Erat illa tempeſtate Laureti pręſes Gaſpar Doctus Venetus. Is cęteris donis ſuper aram poſitis, arcum, pharetramque ſuſpendi in ſacroſanctæ cellæ veſtibulo iuſſit, rei ad poſteros monumentum. Attulerat is, quem dixi, Baſſæ Libertus miraculi teſtimonium, chirographum patroni ſui. Quod Gaſpar ex Arabico in vernaculam linguã conuerſum ad poſteritatis memoriam aſſeruari voluit. Id autem latine verſum erat eiuſmodi. Quod bonum, fortunatumque nobis eſſe velit; magnus, ac miſericors mundi Dominus. Cum mihi ipſi diuinitus quidã euenerit, ego Corcut Baſſa (ne meo deſim officio tantæq. rei monumẽtum aliquod poſteris exſtet) rem omnem ordine exponã. Ortum erat atrox apoſtema nobis in pectore, iamq. haud dubium imminebat exitium; cum deſperata à medicis ſalute, meus me ſeruus adijt, & ſane fidenter; ſi mihi libertatem polliceris (inquit) Dei mei matrem exorabo, vt priſtinam tibi reſtituat valetudinem. Itaq. ego confeſtim accerſito tabellione, libertatem ei repromiſi, ſi ipſe promiſſa

miſſa prȩſtaret. Extemplo ſeruus poſitis humi genibus, & quædā ſuper ſe ſigna ducēs manu, rogitat, vt ſemet verbo præeuntem ſequar. Inde ipſe præire his verbis cœpit. Ego B. Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obſecutus, triduo poſt, Deo fauente conualui, Ergò ſeruo in libertatem vindicato hoc chirographum dedi cum votiuis donis, quæ meæ obſeruantiæ, gratique animi monumenta ſint, B. Mariæ parenti prȩpotentis Dei, qui nos ſaluos velit.

Ædes Lauretana Illuſtrium virorum donis augetur. Cap. XVIIII.

NEC miraculis magis, quam muneribus Lauretana Domus Iulio III. Pont. Max. illuſtrata. Cardinalis Auguſtanus veſtem aureā opere præclaro: monile ex vnionibus centum quinquaginta, certa per interualla aureis diſtinctum globis. ad hæc aureū numiſma pendulum gemmis, ac margaritis inſigne Lauretanæ Virgini donum tulit. Cardinalis Cæſius aræ ornatum argenteum. Carpenſis Cardinalis eximium Epiſcopi ſolemni ritu diuina officia celebrantis amiculum ex veſte Attalica. Item alterum ex veſte argentea auro criſpante diſcretum. Cardinalis Medices (qui poſtea Pius Quartus Pontifex fuit) aræ veſtem ex textili aureo. Bernardinus Sanſeuerinus Princeps Biſiniani effigiem ſuam à pectore expreſſam ex argento, ingentis ponderis: aræ inſuper, & ſacerdotis ornatum ex holoſerico villuto coccineo. Hercules Dux Ferrarienſis aræ, ſacerdotis, miniſtrorumque ſolemni pompa rem diuinam celebrantium præclaros ornatus ex veſte Damacena ingentibus aureis floribus intertexta. Vidobaldus Vrbini Dux arȩ pariter, ac ſacerdotis amiculum ex Attalica veſte. Dux Grauinæ ex eadem materia ſacerdotis ornatum. Prorex Neapolitanus, & ſacerdotis, & miniſtrorum ſolemni more ſacrificantium veſtes aureas opere

Card. Auguſtani D.

Card. Cæſi D.

Card. Carpenſis D.

Card. Medices D.

Princip. Biſinian. D.

Ducis Ferrarienſis D.

Ducis Vrbinatium D.

Ducis Grauinæ D.

opere Phrygio conſpicuas. Mantuanus Marchio eorundem ad eundem vſum veſtes argenteas. Portia Cæſia pluuiale aureum. Vxor Comitis Palenæ in Samnitibus monile ex auro, margaritiſque. Conſtantia Leiua Hiſpana coronam auream libralem. Inſigne etiam donum è Germania miſſum à Ferdinando Rege Romanorum, argentea B. Virginis effigies ſeſquipedalis pondo XXXI. cuius genibus aduoluta eſt Anna Boemię regina ex argento. In baſi titulus duplex, alter à fronte.

Proreg. Napoli. D. March. Mãtuani D. Portiæ Cæſiæ. D. Comit. Palenæ D. Conſtantiæ Leiuæ D. Ferdini Cæſaris D.

SERENISS. AC POTENTISS. ROMANORVM VNGAR. BOEMIÆ REX, ARCHIDVX AVSTRIÆ ET CET.
FERDINANDVS
HANC ARGENTEAM EFFIGIEM D. VIRGINI OFFERENDAM TRANSMISIT AN. M. D. LII. MENSE MAIO

Alter porrò titulus à tergo:

FERDINANDVS ROMANOR. VNGAR. BOEMIÆ REX
ARCHIDVX AVSTRIÆ ETC.
EX VOTO SALVTIS IN MEMORIAM DVLCISSIMÆ CONIVGIS ANNÆ, HANC IPSIVS ARG. EFFIGIEM MARIÆ VIRG. DEDICAVIT. CONSECRAVITQ.

Marcellus Ceruinus Card. in ſacro ſacello Pontificem ſe futurum diuinitus cognoſcit.
Cap. XX.

HAec inter Marcellus Ceruinus Cardinalis vir doctrina pariter, & ſanctitate clarus in oppido Lauretanæ Domui ſatis vicino (Montem Fanum appellant) domicilium ſtatuerat. Suum id natale ſolum ferebat, reuera locum interuiſendæ natali B. Virginis cellæ peropportunum elegerat. Inde Lauretum incenſo ſtudio ventitabat, in auguſtiſſimo orbis terræ ſacello ſacris operaturus

Am. Laur. Rier.

Card. Ceruini pietas.

raturus. Itaque ſub Iulij Tertij Pontificis deceſſum Marcello rem diuinam inibi de more facienti res euenit viſu, euentuque mirabilis. Eximio candore, ac ſpecie columba, multis inſpectantibus, ſupra eius caput placide cum volitaſſet, nunc in ſacrificantis manibus, nunc in ipſo miſſali libro requieſcebat. Ea res obiecta oculis adſtantium plærosque animis immobiles ſtupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinali ſacrificanti præſto erat, vulgarem aliquam columbam eo forte delapſam ratus abigere eam conabatur. At Cardinalis haud parum memor candidæ columbæ inditio diuinitus olim deſignatos nonunquam eſſe Pontifices; inhibet abigentem: ipſe cœleſtem columbam quieſcere ſinit, quoad ſacrificio peracto, ſua ſponte auolaret. Exinde cœleſte viſum homini affirmat fidem. Nuncio de morte Pontificis Marcellus Romam reuocatus non ſuſtinuit vix prius, & Pontificijs comitijs committere ſe, quam veteri ſuo inſtituto Lauretanam Virginem ſalutaſſet. Et aderat dies Annunciatæ Virgini ſacer, qui cæteroqui pium eius animum inuitabat. Venit ergo pridie Lauretum. Feſto ipſo die, excluſa incondita turba, ſacrum in auguſtiſſima cella facere attentiſſime coepit. Inter ſacrificandum poſt initium Canonis, Eccleſiam Pontifice orbam memorans, Deo ac B. Virgini enixius commendabat. Effuſe præcanti B. Maria coeleſti ſpecie, coelitum ſepta comitatu ſe offert: animoque eius diuina luce, ac dulcedine delibuto, ipſum fore Pontificem indicat: extemplo attonitæ mentis oculis ſubducit ſe. Marcello tam nouę rei, ac ſubitæ admiratio tantum repente animi; corporiſque totius incuſſit horrorem; vt ad aram trepidans pedibus ægre ſubſiſteret. Senſit Sacerdos eius adminiſter aliquid profecto Cardinali obiectum diuinitus, vtique cum eius conſpiceret faciem inſolito quodam ſplendore fulgentem: mox etiam notaret totum eius corpus noua circundatum luce. Ergo quod ipſemet viderat, deinde cum alijs multis tum Raphaeli Rieræ, qui rem litteris prodidit, pro-

Card. Ceruini promi.

familia-

familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipſe neceſſariorum, qui ſpectaculo adfuerant, precibus fatigatus, enunciauit denique totam rem, vti geſta erat: ac ſimul adiecit tantum vtique Pontificis munus longe altius eſſe faſtigio ſuo: ac propterea Deum fortaſſe alium ſibi Vicarium quæſiturum. Cæterum ſi Deo cordi eſſet talem in terris habere Vicarium; enimuerò ſibi antiquiſſimum fore, Chriſtianā Rempublicam conſeruare ſartam, tectāque, atque Aedis Lauretanæ cultum longe, ac late propagare. Itaque Montem Fanum regreſſus accerſito tabellione, publicis conſignari litteris iuſſit, quæ in B. Mariæ Lauretanæ gratiam deſtinarat animo: nimirum vt publicæ tabulæ ſuam Deiparæ obſtringerent fidem, eædemq. ſi forte, quod accidit, mors interueniret; teſtes forent ſuæ erga illam egregiæ voluntatis. Exſtant hodie in eo, quod dixi, oppido tabulæ Marcelli Ceruini Cardinalis, ex quibus ſatis apparet, ei in animo fuiſſe Canonicorum, Cantorum, Miniſtrorum, ſacerdotum etiam Societatis Ieſu augere numerum, vt ſancta Domus aduenarum frequentia, pietateque auctior foret. Ad hæc Laureti pomærio longe, lateque prolato, muris propugnaculiſque circa excitatis, nouam vrbem, nouam condere ciuitatem, Epiſcopali ſede, mero, miſtoque imperio, & octo finitimis oppidis attributis inſignem. Condendæ porro ciuitatis facilem hanc expeditamque excogitauerat viam, vt pauperes familias ex omni Pontificali ditione, partim ſpe præmiorum, partim etiam B. Marię Lauretanæ religione ad nouam frequentandam ciuitatem pelliceret: nouis colonis proximam ſyluam publico ære coemptam viritim diuideret, vt exciſa ſylua, repurgatiſque ſaltibus, agros colerent ſuos: ita breui, & ſatis frugum vini, olei nouæ ciuitati fore, nec mercatores ſpe lucri ob loci celebritatem illectos defuturos. Hac demum ratione Lauretanę Virgini, & dignationis, & cultus acceſſurum eſſe vel plurimū. Cęterum Deo cuius *inſcrutabilia iudicia* ſunt, aliter vi-

ſum. Quippe illum pręclara ſua de Lauretana Aede conſilia mandare litteris, quam factis exſequi maluit. Vt Marcellus Romam attigit, facile quidem euenit, quod Deo cordi erat, vt fieret Pontifex: & extitit B. Virginis fides; Pontificis tamen exſtare non potuit. Is namque intra XXII. diem, vix dum inito Pontificatu exceſſit è vita. Pontifex egregijs conſilijs magis, quam operibus memorandus. Salubria quippe eius conſilia plures deinde Pontificum ſecuti, multis ac magnis ſimul Eccleſiam, ſimul Lauretanam Aedem pręſidijs, ac muneribus adornarunt.

Aucto Ieſuitarum Collegio à Paulo Quarto, Lauretana celebritas, & opulentia adaugetur.
Cap. XVI.

QVorum ex numero Paulus Quartus fuit, qui Marcello ſubrogatus, eiuſque ſalubribus vſus conſiliis non modo lapſam Eccleſiæ diſciplinam, moreſque reſtituere cœpit; ſed Lauretanæ Domus etiam cultum amplificare inſtitit. Pontificatus initio vetera aliorum Pontificum beneficia nouo ſanxit diplomate: ædificationem ſedulo iuuit: auxit numerum Miniſtrorum: nihil denique prætermiſit, quod ad amplificandam loci Religionem pertinere exiſtimaret. Cæterum illud præcipuum eius munus ex Marcelli vtique conſiliis ortum, quod Societatis Ieſu Collegium auctius reddidit. Nam etiam ſi Patres illi, qui tum erant, maiorem quam pro numero peregrinis nauarent operam; tamen ſacerdotum paucitas creſcenti in dies aduenarum multitudini ſatisfacere haud quaquā poterat: pręſertim cum ex remotiſſimis quoque regionibus peregrini homines ſermone diſſoni quotidie plures eo confluerent, quorum plerique confeſſione expiari nequibant linguæ commercii expertes. Hos irritos ſpei, votique

domos

domos redire, haud ægrius ipſimet, quam Patres patiebantur. Igitur ea res Cardinalem Carpenſem perpulit, vt de adaugendo Patrum numero cogitaret. Is quippe admodum lætus Collegium ab ſe in ſolo Laurerano ſatum, quãuis adhuc tenue ac tenerũm, ſatis vberes pietatis, qua ferre, qua oſtentare fructus, de eo impenſe amplificando cũ Pontifice agitauit, ratus fore; id quod euenit, vt vberrimã frugem, auctis maturiſque iam fructibns ferret. Itaq. anno huius ſæculi LIIII. approbante Pontifice perfecit, vt ſociis duo de triginta ſuperiori numero adiectis, XL. e Societate Laureti alerentur. Nec Cardinalis, aut Pontificis ſpem Societas eſt fruſtrata. Auctum per eam occaſionem ſacerdotibus exterarum linguarum peritis Collegium, magno & religioni peregrinorum incremento, & Lauretanæ Domui emolumento fuit. Ex eo tempore omnium ferme nationum peregrini ſuę quiſque gentis ſacerdotes nacti, quibus cum libere agerent ſine interprete, eorum opera Chriſtianis etiam inſtitutis, præceptiſque imbuti, non tantum peccatis expiati domos repetebant. Lauretanæ porro Aedis religio, ac res tantis ſubinde auctibus creuit; vt ſatis conſtet, vel aduenarum frequentiam, vel donorũ copiam ſolito longe fuiſſe maiorem. Nimirum aduenarum multitudo infinite creſcebat in dies, ac multis paſſim agminibus per omnes vias, ſemitaſque Lauretum vndique concurrebant. Sæpe dena nonunquam vicena, interdum etiam tricena, eoque plura peregrinorum millia verſabantur ad Lauretum, circiter natalẽ Virginis diem. Plerique autem templo, oppidoque excluſi circumiectos agros ſyluaſque complebant.

Lauretana Ædes donis cumulatur.
Cap. XXII.

ET cum aduenarum multitudine Lauretanæ Aedis opulentia creſcebat. Satis conſtat ex eo tempore dena, duodena, quaterdena, ſenadena, vſque ad vicena aureorum millia in arcam quotannis ingeſta. Nec vero vnquam vllus Pontificum quicquam ex arca Lauretana in ſuum vſum vertit. Sed omnibus æque ſancta ea pecunia fuit. Duo omnino tempora inciderunt, cum aliquid inde pecuniæ ad Pontifices ita peruenit, vt paulo poſt ab ijſdem eodem rediret. Leonis X. Pontificis Duces ad reprimendas Franciſci Mariæ Vrbinatium Ducis populationes, ſex aureorum millia ex ſacra arca in ſtipendium militare depromſerant. Id vbi cognouit Pontifex, extemplo per Piceni Quæſtorem B. Virgini eam ſummam renumerandam curauit. Clemens inde VII. ſub direptionem Vrbis, cum in ſumma difficultate eſſet nummaria (vt ſupra demonſtrauimus) tria aureorum millia mutua ab Lauretana Virgine accepit: quæ deinde periculo defunctus cum fide perſoluit. Itaque omnis illa pecunia, quæ in ſacram arcam ingerebatur, in Lauretanam fabricam, alioſque S. Aedis vſus erogabatur. Paulo autem Quarto Pont. ad eam pecuniam acceſſerunt alia dona, quæ ad ſacram ſupellectilem pertinebant. Chriſti crucifixi effigies argentea iuſtæ magnitudinis cum Caluario monte, ac ſimulacris B. Virginis, & S. Ioannis ex argento expreſſis, bina itidem argentea candelabra cubitalia, & patera argentea bilibris pulcherrime facta. Ad hæc amiculum eximium Epiſcopale ex veſte Attalica, cuius præcipuum ornamentum erat aurea ingenti ſpecie fibula tribus cumulis margaritarum inſignis, quali Cardinales Epiſcopi vti ſolent. Textilis inſuper pictura Chriſti ortum referens ex ſerico, auroque mira arte perfecta, Cardinalis Carpenſis dona ſunt. Ducis Vrbinatis veſtes ſacerdotis ac miniſtro-

Bern. Cyril.

Card. Carpenſis D.

Ducis Vrbinatus D.

miniſtrorum aureæ. Par donum Ducis Epirotarum. Ducis item Mantuani, niſi quod hæ ſunt ex auro argentoque contextæ. Ducis Bouini præclarum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ferculum ex argento, pedalibus angelorum ſimulachris innixum. Honorati Caetani Ducis Sermonetæ ſacerdotalis veſtis aurea, aræque ornatus ex veſte Attalica. Auguſtini Auriæ caput argenteum, binique ſacerdotales ornatus ex auro textili. Margaritæ Auſtriacæ Caroli V. Cæſaris filiæ egregia veſtis, aræ pariter, & ſacerdotis ex argẽteo textili criſpo. Marchioniſſæ Vaſti ciborium aureum bilibre, opere præclaro. Alterum ciborium egregium, ſed diſtinctum columnis ex argento inaurato vxoris Ducis Ariani. Sacerdotis, ac miniſtrorũ ſolemni ritu ſacrificantium ornatus argenteus Ducis Mantuanæ. Denique Sacerdotalis veſtis aurea inſignis à tergo ingenti effigie B. Virginis ſole amictæ, eademque auro, margaritiſque diſtincta, Reginæ Vngarię donum.

Duc. Epir. Donum. Duc. Mant. Donum. Duc. Bouin. Donum. Duc. Serm. Donum. Aug. Auriæ Donum. Marg. Auſt. Donum. March. Vaſti D. Duc. Arian. D. Duc. Mantuanæ D. Reg. Vnga. Donum.

A Gallico exercitu Lauretana Ædes cum multorum militum ſalute celebratur. *Cap. XXIII.*

CAeterum exorto ſub id tempus inter Hiſpaniæ regẽ ac Pontificem bello, nouorum armorum tempeſtas quæ turbauit Italiam, Lauretanam illuſtrauit Aedem. Dux Guiſius à Pontifice euocatus annuente Franco Rege, inſtructiſſimas Gallorum copias in Italiam traduxerat ea mente, vt ſimul præſidio eſſet Pontifici, ſimul Neapolitanum reciperet regnum. Qua tẽpeſtate religio Aedis Lauretanæ, diuinaque erga eam prouidentia maxime enituit. Ingentes militum copiæ ex varijs gentibus collectæ Picenum inundarant: nec tamen Aedes diuitijs inclyta cuiuſquam animum ad opulentæ prædæ cupidinem illexit. tanta etiam in bellico tumultu militares animos religio Lau-

Tradi. Lau. Ann. Laur. Rier.

retanæ

retanæ Virginis, cœperat. Quamdiu autem Guiſius in Piceno ſtatiua habuit, tanti exercitus manus ſpectaculo potius Lauretanis, quam damno fuere, Deipara clientes, non modo res ſuas tutante. Erant in eo exercitu permulti Caluiniana peſte contacti, nulla tamen cohortium, nulla turmarum omnino exſtitit, quin ad primum Lauretanæ Baſilicæ conſpectum, religione tacta ad eam viſendam, colendamque acceſſerit, vota fecerit, dona tulerit. Itaq. pergebant eo pacatiſſimis agminibus, alij poſt alios turmarum, & cohortium Duces: pacatiores abibant, quam venerant, nuncupatis, aut exſolutis ante Virginis aram votis. Quin etiam in eiuſdem gratiam, ante Aedem militari more ludicra inter ſe ſimulacra belli ciebant armis ſagiſque conſpicui. Gratius deinde militaris pietas Deiparæ, Deoque ſpectaculum præbuit. Militum plerique ſacra confeſſione abluti, ſacroſancto Euchariſtię epulo accubueruut. Nonnulli etiam hæreticorum in rectam veritatis viam reducti, eiuratiſque erroribus reconciliati Eccleſiæ: & confeſſionis, atque Euchariſtiæ ſacramentis expiati, Deipara etiam impiorum perfidiam, in Dei cultum pietatemque vertente.

Vtinenſis ciuitas voto B. Mariæ Lauretanæ nuncupato à circumſerpente peſtilentia prohibetur.
Cap. XXIIII.

Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.

PEr idem tempus multis ſane, ac varijs Lauretana Aedes eſt nobilitata miraculis. Vtina vrbs eſt Carnorum, magnitudine ac nobilitate vni Aquileiæ ſecunda. hæc maximum ſalutis diſcrimen Virginis ope diſcuſſit. Anno M. D. LV. atrox peſtilentia Venetiæ fines, Carnoſque peruagata, magnas edebat vbique ſtrages incolarum. Ergo primores ciuitatis Vtinenſis cum ſerpere quotidie malum, & iam aduentare cernerent; conſilium à ne

ceſsitate

ceſſitate petunt: votoque publice nuncupato, Lauretanā Virginem inuocant, & ſuam ciuitatem eius committunt fidei, tutelæque. Nec illa clientium ſuorum vota, ac preces feſellit. Biennio quo graſſata eſt lues, cunctis circa oppidis morbo exhauſtis, (adeo præſens B. Mariæ tutela fuit) ſola Vtina communis mali perſeuerauit immunis. Vtinenſis ergo ciuitas non in faciendis, quam in exſequendis votis religioſior, ſolemni ſupplicatione indicta, Lauretum venit. Trecenti erant viri nobiles, quibus pulcherrima Chriſti Crucifixi effigies præferebatur: omnes linteati, omnes iiſdem inſignibus conſpicui, cum donis vel publicis, vel priuatis, ad Lauretanam Aedem pariter procedebant. Limen ingreſſi proſternere corpora certatim humi, & collacrymantes ciuitatis ſuæ, ac ſuo quiſque priuatim nomine ingentes Deo, Deiparæque grates agere cœperunt. Inde conſurgentes fraternè ſe inuicem complexari: fletuque integrato mutuis ſe perſundere lacrymis. Et inſignem à pietate ortam comploratione m par eorum, qui aderant comploratio excepit, nullo fere ſpectatorum in tam pio talium virorum fletu lacrymas tenente. Ad vltimum intrant ſanctiſſimam cellam: Deiparaque Virgine enixe conſalutata, apud eam munera deponunt. In his votiua erat tabula egregiè picta cum titulo:

GLORIOSISSIMÆ VIRG. LAVRETANÆ
OB SERVATAM A PESTILENTIA
VTINENSEM CIVITATEM, ET AGRVM.
SACRATISSIMI CRVCIFIXI SOCIETAS
POSVIT DICAVITQVE
AN. SAL. M. D. LVI.

Cæcis duobus lumen oculorum reſtituitur. Cap. XXV.

TRiennio poſt admirabilius etiam ſpectaculum Lauretana Virgo, & incolis, & aduenis præbuit. Senenſis *Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.*

ſis puella erat Venetæ matronæ haud ſane vilis, quæ in obſequio Dominæ luminibus capta, nihil penitus cernebat. Et apparebant in oculis ſigna, quæ facerent cæcitatis fidem. Itaque medicorum remedijs fruſtra tentatis, Dominæ iuſſu à mulieribus duabus Lauretum adducitur, haud dubia ſpe lumen illi redditum iri, ope ac deprecatione B. Mariæ. Puella igitur inter illas duas feminas auguſtiſſimam Virginis cellam ingreſſa, ſubmiſſis genibus, obortiſque lacrymis Deiparam enixe implorare cœpit. Refertum erat ſacellum accolis & peregrinis, qui pariter Virginem orabant, ſeu puellæ miſericordia capti, ſeu rei expectatione ſuſpenſi. Ecce tibi illa dum precibus lacrymabunda inſiſtit, repente hylarior facta, lucis ſe aliquid diſpicere clamat: & ſimul eos, qui aderant, vt ſe precibus iuuarent, impenſe rogat. Cæteris ad comprecandũ Deũ accenſis, paulo poſt læta ſucceſſu puella ſucclamat, iam cerni ab ſe ardentes ante Virginem faces, lychnoſque. Enimuero ea vox accenſa ſupplicantium ſtudia vehemẽtius inflammauit: cunctorumque ex oculis lacrymas gaudio miſtas exciuit. Tandem puella gratulabunda exclamat. iam B. Mariæ effigiem, iam quæ circa illam ſunt dona cerno. O Dei, O Deiparæ clementiam: ò diuinum, & commemorandum vtriuſque beneficium. Talia inter gratulandum illa miſtis gaudio lacrymis iterante, ingens orta eſt omnium comploratio Deo, ac B. Virgini grates agẽtium, quæ ſemihoram tenuit: & pleroſque etiam ſacellum egreſſos ſecuta, ſuperuenientium pectora pari ſenſu, atque admiratione compleuit: vtique cum ijdem qui modo cæcam puellam conſpexerant, nunc integris oculis, ac probe videntem cernerent. Vix alia res eiuſmodi in maiore populi frequentia geſta. Quippe ſecundum ferias Paſchatis id miraculum patratum eſt: qua tempeſtate, maximo ſolet mortalium concurſu Aedes Lauretana celebrari. Raphael Ricra, qui rem litteris conſignauit, miraculo interfuiſſe ſe tradit, & egomet ab alijs accepi haud dubiæ fidei

homi-

hominibus, qui ſe tum adfuiſſe dicebant. Geſta res eſt anno huius ſeculi LIX. Gaſparo Docto Prætore Lauretano, qui tàm euidens miraculum in tabulas publicas referri iuſſit. Sed antiqua ſimplicitate tranſacta res eſt. Nomina puellæ & dominæ (perinde ac ſi ad fidem miraculo conciliandam nihil admodum pertinerent) omiſſa; credo quod ab Euangeliſtis quoque in euidentibus miraculis id factitatum viderent. Minus celebre, ſed nihilo minus admirabile eſt, quod de Thoma Parmenſi perhibetur. Is ex graui oculorum morbo haud dubie cæcus, nocte quadam acerbiſſimo oculorum dolore cruciabatur. Igitur alleuat ſe ſuper lectum vbi iacebat: poſitiſque genibus, multis cum lacrymis Lauretanæ Virginis implorat auxilium. Precibus adijcit votum, ſi lumen oculorum recipiat, ſe Lauretanā Domum aditurum. Exinde recubuit, ingentē in B. Virgine ſpem reponens. Nec ſua illum fruſtrata ſpes. Mane experrectus ſomno, matutinam lucem ſanis oculis hauſit. Extemplo igitur Deiparæ gratias agit, Lauretum proficiſcitur, vota perſoluit.

Nauarchus Genuenſis duplici periculo eximitur. *Cap. XXVI.*

EOdem ferme tempore Lauretum alius venit duplici voti damnatus, duplicique miraculo inſignis. Paulus Genuenſis Nauarchus nobilis fuit. Is è Gallia Narbonenſi Genuam repetebat, cum ſubito fæda exorta tempeſtas naufragio intentato, iacturā omnium mercium facere eum ſubegit. Cæterum procella nauim pertinacius vrgente, ingens omnium animis terror inceſsit. Itaque vectoribus nautiſque dilabentibus, vt ſalutem natatu peterent, ſolus ipſe manſit in naui, quam æquè ac ſe ipſum ſaluam vellet, fortunarum ſcilicet ſuarum caput. Onerariam ergo illam ſuam plenam fluctibus cernens, effuſus in Ann. Laur. Rietæ.

vota, & ſibi,& naui Lauretanam inuocat Virginem. haud fruſtra. ea inuocatio, & vires illi, & animos addidit. incredibile dictu. ingenti vi moliens velum ſolus ipſe ſuſtollit: ac veluti ſuas preces auditas eſſe ſentiret, nauigium vndis exhaurire conatur. Inter hæc, tempeſtate ſedata, nauis vento ac B. Maria obſecundante Genuenſem tenuit portum, haud minore ipſius admiratione, quam aliorum, qui onerariam ingentem ſemiplenam fluctibus vno Nauarcho nautarum omnium munera exſequente, ad portũ appulſam videbant. Attamen Paulus voti compos ſegnior, quam par erat, in voto reddendo fuit, ſiue aptius ſubinde tempus expectans, ſiue alia huic negotio præuertenda ratus. Nec mora diu impunita. Vertente anno, eo ipſo die (vt tempus beneficij pariter, ac delicti eum admoneret) eadem vectus naui cum paruo filio fecit naufragium. Perculit repente ægrum animum memoriæ vitati nuper B. Virginis ope periculi, & votiuæ peregrinationis omiſſæ. Igitur effuſe lacrymans à Deo veniam exorat: expertamque Lauretanæ Virginis ſibi, ac filio expoſcit opẽ, veteris voti religionem voto ſanciẽs nouo. Nec fruſtratæ ſunt eum preces. Filiolum inter vndas quæritans ſaluum reperit: ſublatumque in humeros per ingentem agitati maris tractum natans ad terram tranſuexit incolumem, cæteris vectoribus, nautiſque inter fluctus hæſitantibus, obrutiſque: vt aliorum clades cœleſte donum illuſtrius faceret. Ille igitur, vt attigit littus, non magis ſua quam filioli ex præſenti exitio recepti ſalute lætus procumbit in genua: idemque paruum filium facere iubet: & manantibus gaudio lacrymis, tendens ſupinas in cœlum manus, B. Mariæ ſecundum Deum gratias agit, quæ votum fruſtrata non ſit ingrati hominis vota fruſtrantis. Et quoniam haud dubie iniecta exſoluendæ religioni mora nouũ ſibi periculum crearit; nequaquam ſe commiſſurum profitetur, vt noua mora obeſſe in poſterum poſsit. Ergo veritus ne ſi reuertiſſet domum, cura aliqua domeſtica Lau-

retanam

retanam moraretur peregrinationem; & ſimul priorem in reddendo voto negligentiam compenſaturus, è veſtigio contendit Lauretum, omiſſa domus, patriæque reuiſendæ cura. Ita precario, mendicatoque cibo ſe paruumque filium ſuſtentans ad Lauretanam peruenit Aedem, inſignis non magis recuperata prius naui, quam deinde amiſſo nauigio, filioque ſeruato: nec minus exſoluta poſtea voti religione memorabilis, quam antea neglecta.

Iuuenis innocens carcere, alter bis ſuſpenſus exitio, ac ſupplicio liberatur.
Cap. XVXII.

HAud minus in ſupplicijs, quam in fluctibus propulſandis Lauretana Virgo admirabilis per idem tempus fuit. Auguſtinus à Rocca Valdonia (oppidum eſt ditionis Senenſis) falſo crimine poſtulatus vinculis tenebatur. Ibi cum innocens multos iam dies torqueretur, Lauretanā Virginē, cui mirifice addictus erat, implorat. Nec irritæ preces: nocte intēpeſta excitus ſomno manicas ferreas, quibus vinctus erat, ſua ſpōte elapſas videt è manibus. Protinus B. Maria conſiliū, vireſq. ad fugā ſuppeditāte, carceris parietē ſubruere aggreſſus cæmenta quædā reuellit manu, Ita patefacta feneſtra, quæ illi effugium dedit. Cæterū duo reſtabant oſtia: quæ obſtarēt fugæ: hæc forte quædā diuinitus aperta, & incuſtodita reperit. Ergo euadit in tutum, B. Mariæ munere non effugium ſolum nactus, ſed etiam perfugium. Hic imminenti, alter iam vrgenti ſupplicio exemptus. Franciſcus erat quidam Ferrarienſis, homo ruſticanus, ſed pius. Is anno ſeculi huius LVI. Picenum peragrans in Ducis Guiſij; qui pro Paulo Quarto aduerſus Philippum Regem Hiſpaniæ bellum gerebat, copias incidit, a quibus de ratione itineris ſui interrogatus, ac liberaliter habitus cum litteris Galli Ducis, ad Pontificij exercitus Præfectum in thoracem inſutis, certiſque notis de

Trad. Laur. Ann. Laur. Riere.

quibus inter eos conuenerat, dimittitur rei totius ignarus. Igitur ad Anagniam Campaniæ Vrbem ab excubijs hoſtilis exercitus interceptus, excuſſuſque ad M. Antonium Columnam adducitur. Qui ex repertis in thorace hoſtium litteris, nutiſque exploratorem haud dubie ratus, continuo ſuſpendi miſerum ruſticum iuſſit. Confeſtim igitur ad ſupplicium rapitur, proſequente ingenti militum, ciuiumque Anagninorum manu. Nec tamen ille defuit ſibi. Facta orandi diuini numinis poteſtate, ſubmittit genua, à Deo veniam orat. Protinus Mariam Lauretanam inclamans, Non te fugit B. Virgo Dei mater (inquit) me innoxium mori, neque vllo modo conſcium iſtiusmodi litterarum. Proinde te oro quæſoque, tuum mihi propities filium, vt alias meas noxas, quibus grauiora commeruiſſe me fateor, oblitus pro ſua ſingulari clementia, innocentiam indicio aliquo declaret meam. Hæc magna voce elocutus, fidenti animo graditur ad mortem. Eum carnifex ad furcam religatũ, è ſcalis deijcit, ceruicibuſque pede oppreſſis, relinquit pro mortuo. Mira dictu, viſuque res. Parumper miſer ille pependerat, cum fracta reſte, ſubito corruit; apparuitque incolumis, ſanuſque. Sed miraculũ pro fortuito caſu habitum, quo deinde foret illuſtrius. Extemplo carnifex ſolidiore laqueo ceruicibus inſerto, miſerum illum reducit ad patibulum, obtortoque ſtrenue collo, deturbat è ſcalis. Ecce tibi rurſus Dei vtique ac Deiparæ nutu funis rumpitur; & Franciſcus præceps ruens fracto capite iacuit ſemiuiuus. Tum enimuero mouit circumfuſam multitudinem miſeranda ruſtici ſpecies, admiratio nemque auxit funis præualidus ſua ſponte ruptus. Et ſimul ſubibant animos vadentis ad ſupplicium preces, ac Lauretanæ Virginis imploratio. Itaque plæriſque ueniam inſonti, ac B. Mariæ caro iuueni deprecantibus, cœleſtiũ munere bis ſeruatum à mortalibus perdi religio fuit. Ergo M. Antonius ab inſita humanitate, eximiaque in Lauretanam Virginem religione, impenſius etiam quam roga-

batur

batur,condonat illi ſupplicium. Et ciuitas Anagnina rei geſtæ teſtimonium rite obſignatum eidem tradit. Quod ille Lauretum ad agendas Virgini grates profectus apud eam depoſuit, illuſtre apud poſteros miraculi monumentum.

Sicula mulier iugulata ſanatur.
Cap. XXVIII.

Nlhilo minus, ac fortaſſe etiam magis admirabile eſt, quod deinceps de muliere traditur. Sicula puella (cuius nomini parcitur) meliore forma, quam fama, Venetias perducta multos ibi annos vulgato corpore quæſtum fecerat. Iam ſatis rem auxerat familiarem,cum icta patriæ deſiderio,domum aliquando redire decreuit. Ergo bonis omnibus in pecuniam redactis, familiari quodam ſuo comite Lauretum petit ea mente, vt deterſis inibi confeſſione ſuperioris vitæ ſordibus, ac Lauretana Virgine ſalutata,inde lætior in Siciliam pergeret. Ventum erat ad Rauennatem ſyluam, cum bonus ille familiaris poſtea quam omnia circa tuta videbantur, prædæ ſpe ſtimulante, ſtricto ferro inuadit incautam. Nec tamen eam penitus fefellit. Mulier infeſto mucrone ſe peti cernens, Virginem Lauretanam inuocat. At latro (differente B. Maria auxilium,quo eſſet illuſtrius)puellam gladio tranſuerberatam è iumento, quo vehebatur deijcit: deiectam inſequitur, conciditque plagis B. Mariæ ſubinde præſidium implorantem. Ad vltimum ne qua ſit reliqua vitæ ſpes, ſeminecem iugulat fœdum in modum: auroque, ac gemmis ablatis, muliere inſuper vulneribus confoſſa, recedit. Illa in ſuo natans cruore iam moribunda luctantem animam B. Virgini commendabat; cum in ipſo articulo haud dubiam patronæ ſuæ experta eſt opem. Repente ei B.Maria

Anna.Laur. Rier.

ria in veſte candida ſe offert cœleſti emicans luce: & bono animo eſſe iuſſam benigne complectitur: moribundamque gremio fouens, ſimul vulnera corporis tactu ſanat, ſimul ægrum animum cœleſti perfundit gaudio. Dein caſtæ vitæ admonitam relinquens, ex eius oculis elabitur. Ibi tum mulier velut ex profundo excita ſomno, corpus ſuum perluſtrans oculis, recentium vulnerum cicatrices iam obductas videt: mortiferam iuguli plagam perſanatam ſentit explorans manu. Itaque tam inſigni Dei, ac Deiparæ beneficio admodum læta, ſubmiſſis genibus maximas ſecundum Deum certiſſimæ patronæ ſuæ grates agit. Vnũ erat quod ſiquidam turbabat lætitiam: in ſubucula cruenta, ac lacera à latrone illa relicta erat in ſylua. Cæterum haud ſegnius nudæ mulieris pudori Deipara Virgo conſuluit, quam cæſæ conſuluerat ſaluti. Ecce tibi illa miſtas laudibus grates B. Mariæ impenſius agente, præſto fuere muliones, qui illac forte tranſibant. Hi cruentæ puellæ, peregrinæque Lauretum (id ex ipſa cognorant) petentis ſpeciem, nuditatemque miſerati, illico ſeminudam centone contegunt: muloque impoſitam deuehunt Anconam Lauretanæ Virginis religioni fauentes. Ibi illa viliore veſtitu emendicato, protinus Lauretum lætabunda contendit. Poſt abſterſas confeſſione vniuerſas vitæ labes, Virgini vota perſoluit: paſſimque expertam prędicat eius opẽ, cuius haud dubio poſt Deum, beneficio viuebat, ex media morte ad vitam vtique reuocata. Ad faciendam rei fidem, recentem mortiferæ plagæ cicatricem oſtentabat in iugulo. Et acceſſerat diuinitus tanti miraculi haud obſcurum indicium. Circa collum cicatrix aurea monilis in modum fulgebat: vt facile diuina B. Mariæ manu plagam illam tactam, ſanatamque ſentires. Id vero cunctis qui aſpexerunt (ex quorum numero fuit Raphael Riera, qui rem memoriæ tradidit) ingens non modo miraculi monumentum, ſed etiam miraculi fuit. Porro mulier, ſiue Lauretanæ Domus dulcedine capta, ſiue Deiparæ optimè de

ſe

ſe meritę gratiam relatura, Lauretum prætulit patriæ. Quippe annos complures ita inibi vixit, vt diuinis identidem expiata myſterijs Lauretanam inuiſeret Virginem, plures incolarum ad Dei, Deiparæque obſequium excitans ſingulari innocentiæ, ac pietatis exemplo.

Genuenſis quidam de Lauretana Domo dubitans male multatus reſipiſcit.

Cap. XXVIIII.

SVB id tempus Lauretanæ Cellæ religionem Deus inſigni miraculo ſanxit, ne quis ea de re poſthac ambigeret. Anno M.D.LVII. Genuenſis quidam (cuius nomini parcitur, vt famæ parcatur) haud obſcuro quidem loco natus, ſed curioſus magis, quam pius, Genua Lauretum petebat eques. Is in itinere Diaboli vtique inſtinctu, ſuſpicari primo, deinde etiam credere cœpit, Lauretanam Aedem non vetus eſſe monumentum B. Mariæ, ſed nouum commentum ſuperſtitionis, auaritiæque. Cæterum impia hominis cogitatio impunita diu non fuit. Illo ipſo die equus, quo vehebatur, corruens equitantem totius mole corporis oppreſſit adeo, vt miſer ille fractus, ac ſemianimis ſub equo iaceret in via, nullo mortalium, quia nemo aderat, opem ferente. *Dedit vexatio intellectum.* Itaque temeritate in religionem verſa, B. Mariam Lauretanam inclamat. Nec fruſtra. Protinus expeditus equo ſurgit incolumis. Sed prompta Dei clementia non diſcuſſit ſemel conceptam hominis vecordis inſaniam. Breui ad ingenium rediens miraculum illuſtrius fecit. Paulum inde progreſſus, acrius inſtigãte Diabolo, quæ de Lauretana Aede mirabilia ferrentur, vana eſſe omnia omnino in animũ induxit ſuum. haud impune. Iam Lauretana Aedes in conſpectu erat, cum animi cæcitas rędundauit in corpus, offuſa ocu-

Anna. Laur. Rier.

ſa oculis caligine: ac repẽte eũ vires deſtituunt haud ſatis compotem mentis. Ergo trepidus, & attonito ſimilis cum regere nequiret equum, ab equo ipſo prouectus Lauretum ad proximum hoſpitium ſiſtitur. Ibi linquente; pene animo, defluens ab hoſpite excipitur: atque inter manus in cubiculum delatus collocatur in lectulo. Tum vero maniſeſtam iram Dei bis in eodem itinere expertam intentius animo reputare, & ex præſenti luminum orbitate grauiorem inſuper cladem extimeſcens, vbertim flere cœpit. Is metus ſaluti fuit. Diuino ſubinde tactus numine reſipiſcit: & receptum pœnitenti ad expertam Virginis clementiam tutum fore ſperans, veniam à Deo Deiparaque expoſcit. profitetur ac vouet, in poſterum ſemet haud ſecus de Lauretana cella, quam Chriſtianus orbis crederet, crediturum. mirabile dictu. mentis lumen oculorum lux cõſecuta eſt. Igitur ad Lauretanã pergit Aedẽ: & vitæ maculis ſacra confeſſione abſterſis, auguſtiſſimam intrat cellam: B. Virginem enixe veneratur, lætus illam ab ſe cerni ijs oculis, quos nuper eadem irata amiſerat, placata receperat.

Sacroſancti Sacelli violatores diuinitus ſuæ audaciæ pœnas luunt. Cap. XXX.

Ama. Laur. Rier. SVbinde etiam in ſacroſancti ſacelli violatoribus euidens Dei numen apparuit. Anno huius ſeculi circiter LVIII. vir quidam ex præcipua Italiæ ciuitate nobilis in primis, & copioſus (nomen & hominis, & patriæ ſilentio ſupprimitur, quia ipſe ſuppreſſum voluit) Lauretum venit, documeutum haud inultam temeritatem talia audentium eſſe. Hic multis ante annis exiguum lapidem ex ſanctiſſima Virginis cella ſubtractum domi ſuæ aſſeruabat omni honore, cultuque. Haud tamen ille cultus cœleſtem

leſtem leniuit iram. Sed Deo matris ſuæ iniuriam vindicante, miſer ille ſacrilegam religionem orbitate filiorum, & amiſſione fortunarum omnium luit. Ad hæc pertinaci magis, quam pernicioſo morbo vrgeri, vexarique cœpit. Itaque vt erat vir cæteroqui prudens, ac ſapiens, aperuit aliquando oculos: & Deum profecto alicuius ſui ſceleris vltorem adeſſe ſenſit. Cæterum & ſi omnia ſibi accidere videbat apte ad repræſentandam iram diuini numinis, tamen quo tandem ſuo merito illa acciderēt, non videbat. Ergo ab ægritudine ſimul corporis, animique anxius, omni ope placare nitebatur iratum Deum. Sed iræ materia apud eum quamuis ignarum reſidēs, irrita omnia faciebat. Alia deinde ſpes, poſtquam hæc vana euaſerat, ei affulſit. Lauretanæ Virginis, cui mire addictus erat, memor, eius auxilium pariter, & conſilium implorat. Nec mora B. Mariæ monitu diſcit, lapidem ex Lauretana domo ſublatum cauſam eſſe cœleſtis iræ: eamque non niſi ſacro lapide reſtituto poſſe placari. Tum ille obortis lacrymis, religioſæ, vt crediderat, audaciæ veniam à Deo Deiparaque expoſcens, deſiderauit ipſemet referre Lauretum quod abſtulerat. Nec in irritum preces ceciderе: hoc quoque culpam agnoſcenti ſuam Deipara indulſit. Ex templo igitur depulſo morbo alacer pergit Lauretum, ſaxum reſtituit, vota perſoluit. Aliud quoque per id tempus huic haud abſimile accidit. Femina ex agro Piceno poſt diuturnum matrimonium, nullos genuerat liberos. Hæc eius animum cura angebat maxime; vt vndique ſterilitatis remedia quæreret. Ergo ait illi neſcio quis mulieris gratiam initurus, nullum remedium præſentius ad abolendam ſterilitatem, quam Lauretanæ domus reliquias pie, religioſeque cuſtoditas: ſi quid inde abſtulerit, breui eam matrem fore pollicetur. Id non promiſſum magis ſtolide, quam creditum. Illa igitur manifeſta Dei vltoris ira, ablatum inde lapidem cum febri domum retulit: & ægritudo corporis animum vrgebat; adeo non vehementius febris æſtu, quam conſcientiæ iactabatur. Nec

prius ex iactatione illa conquieuit, quam Laureto Sacerdotem acciuit, & lacrymas pœnitentiæ indices profundens ablatum reddidit lapidem. Pœnitentiam valetudo, non tantum venia eſt conſecuta. Magno etiam Illyricis mercatoribus ſimilis audacia ſtetit. Hi coëpto ex Picentibus frumento, ſaxum ex Deiparæ cella ſurreptum clam in onerariam abdiderant. Cæterum, vt fallerent homines, ſacrilegij vindicem Deum non fefellerunt. Profectos ex portu atrox vis tempeſtatis ſubito adorta in ingentem adduxit metum: & trepidos vaſorum, merciumque iacturam facere ſubegit. Haud procul exitio res erat, cum Deũ parentis ſuæ vltorem adeſſe ſenſerunt: & flentes, tendenteſque in cœlum manus veniam pariter orare cœperunt. Placato precibus, ac lacrymis Deo, mare quoque placatur. Illi periculo erepti retro iter flectunt: ad Lauretum appellunt: lapidem Virgini reſtituunt. Proſpero inde curſu in Dalmatiam prouehuntur. Peregrinorum quoque nõ nullos, qui aliquid indidem ſeu lapidis, ſeu calcis abraſerant, abeuntes morbus, velut diuinæ prouidentiæ lictor corripuit, nec ante eos dimiſit, quam regreſſi cum lacrymis, & confeſſione temeritatis ſuæ, ablata Deiparæ reddiderunt.

Sacræ cellæ expilatores diuinitus compræhenſi afficiuntur ſupplicio. *Cap. XXXI.*

CAeterum his, quos religionis ſpecies deceperat, leniorem ſe diuina ſeueritas præbuit: aliorum, quos auaritia in fraudem impulerat, audaciam grauius vindicauit. Per eadem tempora nonulli Lauretanæ Domus miniſtri, ex compoſito ſacros theſauros compilarant, quos à compilatoribus tutari debuerant. Sed celeriter Deus in fandum ſacrilegium debita pœna eſt perſecutus. Iam res omnes in nauim conditas occulta aſportabant fuga, cum agri Piceni oram prætereuectos aduerſa tempeſtas reiecit eo, vnde conſcenderant. Itaque in Recinetenſium poteſtatem

Anna. Laur. Rier.

ſtatem delati, in manifeſto ſcelere depræhenduntur. Nec mora, prodendi exempli gratia, ne quiſquam in poſterum talia auderet, pro Aede Lauretana ſuſpenſi, nefarium ſacrilegium foedo ſupplicio luunt. Verum fallendi ſpes alios ad ſimile facinus ſubinde pellexit. Haud ita multo poſt facinoroſum hominem cupido inceſſit ſacroſancti ſacelli furtim expilandi. Is igitur ſacrilegi conatus ſocium idoneum nactus, ferramenta parat quibus valuarum, & arcæ nummariæ ſeras aperiat. Omnibus in eam rem paratis, intra Virginis cellam ſolerter occulit ſe. Inde nocte concubia ſacrilegium exſequens, ſacra dona aurea, argenteaque cogerit vnum in locum: mox arca, & ſacelli foribus patefactis, templi quoque valuas molitur. Tandem his quoque refractis, circumſpicere cœpit quærens oculis adiutorem ſceleris, qui in templi veſtibulo (ſic enim conuenerat) illa ipſa hora præſto eſſe debebat, ſacra dona, nūmoſque in deſtinatum locum abditurus. Ecce tibi dum intentius circumſpectat, armatorum agmen (cœleſtium manum ante Aedem Virginis excubantium fuiſſe, creditum eſt) adeſſe cernit. Quorum inopinatus aſpectus tantum illi terroris incuſſit, vt clauſis propere valuis, abderet ſe, ratus caput ſuum ab illis peti. Cæterum infelix per functus (vt credebat) periculo, ſtimulante auaritia rurſus audere coepit. Igitur cum iterum, ac tertio patefactis templi foribus, ſocium ſceleris quæritaret, ſemper ei coeleſtis illa manus infeſtis occurrebat armis: ac trepidum effuſa fuga compellebat in templum. Ita per ſpem, metūque nocte abſumpta, tandem de ſalute magis, quam de pręda ſollicitus, irrito incœpto abire ſtatuit. Iamque appetente aurora, per auerſam templi portam capeſſebat fugam; cum coeleſtium excubiarum, quas diximus, occurſu territus, in ſacroſanctam cellam refugit. Manebant adhuc manifeſta ſacrilegij incœpti veſtigia, vt qui locus facinoris teſtis fuerat, etiam index foret. Superuenientibus igitur ſanctiſſimi ſacelli cuſtodibus, valuæ refractæ, ſacra dona congeſta, haud leuibus argumentis il-

lum ſuſpectum ſacrilegij fecerunt. Nec mora trepidans, conſcientiæ notis prodentibus conceptum nefas, compræhenditur, quæſtione habita, rem omnem confitetur: cum ſceleris conſcio merita poena afficitur, haud leue diuinæ prouidentiæ erga res Lauretanas documentum.

Duo adoleſcentes Dæmonum ſeruitio eximuntur.
Cap. XXXII.

PORRO alij facinoroſi homines, ac pene ad extremum perditi, Lauretanæ Virginis ope ad honeſtam vitam, viamque ſalutis reuocati. Adoleſcens erat non genere magis, quam vitijs nobilis. hic in rixa graue vulnus in genu acceperat, irato Deo. Proinde nequicquã curare plagam prius, quam cœleſtem iram placare cœpit. Iam in medicos, ac medicamenta bonam rei familiaris inſumpſerat partem: & curatio ad grauioris incommodi metum, quam ad vllam bonam ſpem pronior erat. Ad vltimum ingens animum eius formido inceſſit, ſeu maturi exitij, ſeu perpetuæ imbecillitatis. Itaque damnata medentium ope, ad Lauretanam Virginem pariter ſpem, ac vota conuertit. Ac reſipiſcẽs lacrymis pœnitentiæ teſtibus Dei delinit iram: Deiparæque auxilium implorat vouens, ſi diſcrimen illud euaderet, Lauretum ſe cum donis ad agendas illi grates iturum. mira dictu res. Hæc ingenti animi ſenſu elocutus, repente perſanato vulnere, recuperat corporis ſanitatem. Cæterum homini ingrato, ac diſſoluto reddita ſalus pene exitialis fuit. Tanti beneficij immemor non ſat habuit votum fallere, niſi etiam valetudinis beneficio ad priſtinam vitæ licentiam abuteretur. Namque in deteriora pronus, luxuriæ impenſius indulgendo eo demũ proceſſit, vnde receptum ad poenitentiam vix haberet. Adeo *nouiſsima eius facta ſunt peiora prioribus*. Actum de illo erat, niſi perditum hominem Deus reſpexiſſet: coeleſtique ope reduxiſſet in ſalutis viam. Tacitam ſubinde vocem audire viſus iubentis ire Lauretum, & primo quo-

Ann. Laur. Rier.

que

que tempore votum, cuius damnatus erat, exſoluere; tandem paruit. Lauretum igitur profectus Deiparam mu neribus colit. Sed non parua dictu res votiuæ peregrinationis fructum præripiebat. Venus quippe vſque eo deuinxerat illum ſibi, vt adhuc in eodem hæſitans luto, quamuis Deo manum porrigente, ad ſacram confeſſionem aſpirare non ſuſtineret. Ergo ſtimulante conſcientia, nunc ſacram Virginis Aedem, & deſtinatum ſacris confeſſionibus locum obire: nunc templi formam, ac votiuas tabellas ex parietibus pendentes otioſe contemplari: modo impulſu mali Dæmonis templo exire: modo diuini numinis inſtinctu eodem redire: inſanum, ac mente captum diceres. adeo illum aliàs conſilij, aliàs pœnitentiæ ipſius pœnitebat. Et iam vix ſui compos æſtuabat animo pariter, & corpore; vt qui neque ſacerdotum aſpectum, nec conſcientiæ ſtimulos ferre poſſet. Iam conſilij anceps, anxiuſque per haſce curas triduum extraxerat, cum Dei Deiparæque benignitate, noua illi ſpes ſalutis affulſit. Intererat forte rei diuinæ, cum vocem è cœlo miſſam ſibi audire viſus eſt, cunctationem eius increpantis, iubentiſque vnum è paratis Sacerdotibus aliquando adire: & noxis expedire animum cum propoſito vitæ melioris. Perculit ea vox obſtinatum animum, flexitque. ita demum victus, ſeu magis victor, mutata ſubito voluntate, facit imperata. Et libidinis cœno aliquando emerſus, ingenti vi lacrymarum vniuerſas vitæ maculas eluit. Protinus cœleſti, vt fieri ſolet, gaudio alacer ingentes Deo, ac Deiparenti grates agit, à præſenti corporis & animi periculo bis eius ope liberatus. Alterius iuuenis par conditio, nec diſpar exitus fuit. Is in luxum, & ea quæ luxum ſequuntur, effuſus, breui opes paternas in flagitia, ac dedecora vitæ abſumpſerat. Dumque ſecum ipſe nequitia, & improbitate certat, eo res tandem venit, vt non mortalibus magis, quam infernis monſtris ludibrio foret. Horribiles ei Dæmonum facies occurſabant, quæ contemptim illum, velut mancipium ſuum accipiebant plagis. Nec corpori ſolum, ſed animo quoque

infeli-

infelicis adoleſcentis inſultabant, ſubinde eum territantes indignis modis: credo vt illum ex malorum mole deſperatio inceſſeret. Adeo crudelis, atque importunus eſt in flagitioſos homines Dæmonum dominatus. Itaque miſer vndique iam malis oppreſſus, prope iam deſperatione torpebat; cum oblata ſubito lux eum ad ſpem ſalutis erexit. Namque æſtuanti, circumſpectantique coeleſte auxilium, Lauretanæ Virginis, de cuius vi, ac benignitate mira multa inaudierat, memoria occurrit. Igitur ſubeunte animum pariter impuræ vitæ poenitentia, obortis lacrymis Deiparam inuocare: Deum per eam placare: coeleſtes iras auertere omni ope coepit. Sed ſalubre conſiliũ capeſſenti extemplo inferna illa obſtabat manus, quę contemptu in odium verſo, miſcens verberibus minas, à pio propoſito abſterrere hominem, & abſtrahere conabatur. Cæterum vicit tandem Diabolicam importunitatẽ Chriſtiana conſtantia. Adoleſcens Deiparæ tutela fretus decreuit rem bene coeptam perſeueranter tueri. Proſtrato igitur ante benigniſſimam patronam ſuam animo, non tãtum corpore, ſpei, ac fiduciæ plenus aduerſus infernas belluas eius præſidium implorare inſtitit rogitans, vt miſerrimæ ſeruitutis iugum ab ſuis ceruicibus aliquando depelleret, quò ipſe iam liber Lauretum ire, & rite expiato ſordibus animo, meritas liberatrici ſuæ grates agere poſſet. Nec ſpes, preceſque incaſſum cecidere. Extemplo diuina vis, oblata ſpe coeleſtis auxilij, & ſupplicem illum ingenti gaudio compleuit: & importunos illos vexatores procul abegit. Auditæ frementium voces, & ſimul inuitis expreſſa confeſſio: Nihil ſe poſſe contra Mariam. Ergo ille vix præ gaudio ſui compos, impigre Lauretum, vti vouerat, tendit. Ibi omnibus vitæ maculis confeſſione ſacra elutis, Deo ac B. Virgini grates impenſe agit; & nonnullis Sacerdotibus (ex quorum numero Riera fuit talium rerum auidus in paucis) coeleſte beneficium lætus enarrat.

Iuuenem in ſeruitutem aſſertum à Dæmone *liberat, chirographo reſtituto. Cap. XXXIII.*

ALium porrò iuuenem Lauretanæ Virginis tutela ſeruauit, quem in præcipitem locum libido inſana prouexerat. Hic vt erat proiectæ cupiditatis audaciæque, in vetitas ſe effuderat voluptates. Expugnato multarum matrum familias pudore, immodico mulieris cuiuſdam amore flagrabat: qua cum nec prece, nec precio, nec vi, do loue potiri liceret; vltima experiri ſtatuit. Igitur conciliatum magicis cantionibus Dæmonem rogitat, vt ſe voti cõpotem faciat, ad omnia ſe deſcendere paratum oſtendens; ſi eo quod expeteret, frueretur. Diaboli ergo iuſſu à Chriſto deficit: ſeque totum illi dedit, traditque. Super hæc omnia iurat conceptis ab illo verbis, & chirographo ſuam obſtringit fidem. vſque eo impuras mentes voluptatis amor excæcat. Cæterum, vt potitus eſt, quod cupierat; fecit, vt fit, faſtidium copia: & cœleſti luce oborta, magnitudinem ſceleris ſui ſera æſtimatione perpendit. Ergo poſteaquam animum curis anxium pœnitentia ſubijt, ad veniæ ſpem erectus, cœleſtem opem ſpectare, Deum Deique parentem implorare cœpit. Inter hæc occurrit animo Virgo Lauretana, eiuſque ædis Sacerdotes ampliſſima facinorum expiandorum authoritate præditi. Protinus Deo authore, ac duce Lauretum petit, haud dubius quin inibi eſſet tantis malis remedium inuenturus. Nec ſua illum fruſtrata ſpes. Lauretum vt venit, Sacerdotem idoneum nactus, re omni expoſita, conſulit, ecqua ſibi ſpes ſit reliqua ſalutis. Ille primo ſceleris atrocitate exterritus paulisper hæſit: deinde immanitate facinoris demonſtrata, ita ſpem illi ſalutis oſtendit, ſi precibus, ieiunijs, volũtariaque corporis vexatione Deum placare penitus inſiſtat. Cum ille nihil omnino pœnarum recuſaret; promiſit Sacerdos, ſi imperata feciſſet, ſe faciles aures ei daturum, & tantum piaculum Deo propitio, vtique expiaturum. In digreſſu hominem monet, vt per triduum inedia, *Ann. Laur. Rietæ.*

dia, cilicio, flagris corpus affligeret. B. Virginis opem implorans: per eam à Deo veniam expoſcat: ſe eodem triduo rem diuinam pro ipſius incolumitate facturum. Et vtrinque exſtitit fides. Ita triduo extracto, Sacerdos optimum ratus eſt ante abſolutionem, chirographum à Dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. Proinde hominem ab ſe dimittit monitum, vt auguſtiſsimum ſacellum ingreſſus precibus, lacrymiſque Deiparam vſque eo fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille ſuæ ſalutis, ſecuritatiſque auidus, haud dubia ſpe, id ſe deprecatione Deiparæ Virginis impetrare poſſe. Ergo proſtrato ante Virginem corpore, lacrymans obnixe eam precatur, vt recepto illo nefario chirographo, ſaluti incolumitatique ſuæ conſultum velit, ingenti miraculo voti compos efficitur. Verſiculos illos ex animo iterabat. MONSTRA TE ESSE MATREM: SVMAT PER TE PRECES, QVI PRO NOBIS NATVS TVLIT ESSE TVVS. Talia precatus ſubito chirographum in manus ſuas delapſum conſpicit. Itaque vix ſibimet ex inopinato gaudio credens, integrato fletu grates Virgini enixius agit. Inde ſacello egreſſus lætitia exultans ad ſacerdotem accurrit: receptum Deiparæ beneficio ſcriptum oſtendit. Id erat tot tantiſque in Chriſtum, atque in ipſum, qui ſcripſerat, diris & exſecrationibus refertum, vt facile appareret à ſempiterno humani generis hoſte dictatum. Verumtamen tantum vinculum omni diabolica fraude potentior vis diuina diſſoluit. ita deuotum illud inferis caput, Deiparæ benignitate, aſſeritur in *libertatem filiorum Dei*: ne quiſquam omnino quamuis facinoroſus ac perditus, ſi modo ipſe perire nolit, de ſua ſalute deſperet; neu cuiquam in dubium veniat Dei clementia, quæ vltro matrem ſuam reis patronam dederit ad ſalutem.

FINIS LIBRI TERTII.

HORA-

HORATII TVRSELLINI E SOCIETATE IESV

LAVRETANAE HISTORIAE LIBER QVARTVS.

Pij Quarti, & Cardinalis Vrbinatis ſtudium Lauretanæ Domus ornandæ. Cap. I.

Tradit. Lau. Riera in Annal. Laur.

INTER hęc Paulo IIII. Pius ſublectus, cuius Pontificatus, vt pace Italiæ lætior, ita decore Lauretanæ domus clarior exſtitit. Pius quippe ſuperiorē domus Pontificiæ porticū magna exſtruxit ex parte. Vetus Xenodochiū nouo adiecto ædificio, amplius, & cōmodius fecit.

Pij Quarti beneficia

Lauretū Recinetenſibus ademptum

Lauretanū oppidum Recinetenſibus ademptū ſui iuris eſſe iuſſit anno ſeculi huius LXV. Adimēdi cauſa fuit, quod negligenter ius dicere, labantes multis locis muros negligere arguebantur. Ita Lauretum trigeſimo anno, quam à Paulo Tertio attributum Recinetenſi ciuitati fuerat, à Pio Quarto in priſtinam libertatem vindicatū eſt: & Lauretanus Præſes octo aureorum millia Recinetenſibus, vel inuitis remunerare iuſſus. Nec minor in cultu B. Virginis, quam in re Lauretana amplificanda optimi Pontificis pietas enituit. Canonicorum, miniſtrorumque numerum non nihil imminutum ſuppleuit. Collegium Societatis Ieſu à Paulo amplificatum ſimul Pontificali diplomate ſtabiliuit, ſimul reditibus auxit. Inter quæ Cardinali Car-

penſi humanis rebus erepto, Pontifex Laureti tutelam permiſit Cardinali Vrbinati, qui nulli veterum Patronorum pietate, ac ſtudio erga Lauretanam Virginem ceſſit. Ac primum Pompeio Palanterio Aedis Lauretanæ cura mandata, per eum templi tholum intrinſecus exornandum marmorato opere curauit. Ad radices Lauretani collis in via, quæ fert ad portum Recinetenſem, ſatis vberem, ornatumque peregrinis præbuit fontem. Inde per alios Præſides multa magnifice fecit, vt dicetur in loco.

Picentium cura Ædis Lauretanæ aduerſus Turcas tuendæ, & B. Virg. tutela Domus ſuæ.
Cap. II.

Ann. Laur. Riera.

CAeterum eà tempeſtate Turcicæ claſſis Lauretum petentis terror, & Picentium erga B. Mariam religionem, & B. Mariæ in Picentes beneuolentiam oſtendit. Renunciatum erat ab exploratoribus, ingentem Turcarum claſſem (in qua eſſent triremes centum, & quinquaginta) ex Epiro ſoluiſſe eo conſilio, vt Lauretano templo diſpoliato, Anconam inuaderent. Igitur paucis iuterie ctis diebus, fama haud procul ab Italia viſæ hoſtium claſſis, ingenti tumultu conciuit Picentes. Inter primum tumultum pubes Recinetenſis Lauretum conuolant ad Aedem præſidio, armiſque obtinendam: & patriæ ac ſuorum immemores Lauretum aggeribus, ac propugnaculis muniunt. Certatimque alij Picentium populi accurrunt: cuncta vicina littora complent armatis, Lauretanam præcipue Domum aduerſus Barbaros ſumma ope defenſuri. Omnibus quippe votis expetendum exiſtimabant, ſi ita res ferret, pro illa, & in illius conſpectu, honeſta morte defungi. His armorum præſidijs acceſſerunt acerrima aduerſus immanes Barbaros tela, aſſiduæ piorum preces. Quicquid ſacerdotum, quicquid piorum hominũ

Laureti, atque in finitimis circa oppidis fuit, Deum placare precibus, ſupplicationibus B. Virginem ſuæ Domui, clientibuſque tegendis inuocare non deſtitit. Nec preces, ac vota in irritum cecidere. Deipara Virgo nõ ſolum à ſua natali Domo Barbarorum vim arcuit; ſed etiam à Piceni finibus prohibuit. Quippe Turcicæ claſſis Duces mutato repente Anconitanæ oppugnationis conſilio, in Samnites maritimos rabiem verterunt ſuam. Itaque deſcenſione facta, Ortonam, Vaſtum, Francauillam, aliaque haud obſcura Samnitium oppida vi capta, ferro flammaque populantur. Samnio magna ex parte depopulato, haudquaquam tamen auſi ſunt finitimam, prædæque expoſitam regionem attingere: adeo præſens Lauretanæ Virginis tutela fuit. At Pontifex mire lætus Lauretanam Aedem diuinitus præſenti exemptam periculo, ſuas quoque partes eſſe duxit prouidere, vt illa in poſterum non tantum à periculo abeſſet, ſed etiam à periculi metu. Ergo de architectorum ſententia, vicinos oppido colles, vnde oppugnari Aedes ab hoſtibus poſſet, mœnibus, propugnaculis, foſſis, aggeribus munire ſtatuit: nimirum, vt non ſolum repentinos hoſtium impetus prohibere; ſed obſidionem quoque ſuſtinere egregie valeret. Cęterum pium Pontificis conſilium alia ex alia cura diſtulit, denique mors intempeſtiua diſcuſſit.

Conimbricenſis Epiſcopus malis doctus ablatum Lauretanæ Domui lapidem reddit.

Cap. III.

NEC vero hęc tempeſtas, aut miraculorum expers, aut donorum fuit. Haud facile alias ante, tam paucis annis tam multa, tã teſtata, tã ſermonibus hominũ celebrata miracula. Illud toto Chriſtiano orbe celeberrimũ. Ioãnes Soarius Conimbricẽſis Epiſcopus vir doctrina pari- *Trad. Lau. Ann. Laur. Rier.*

ter,ac pietate clarus exſtitit. Is anno huius ſeculi LXI. ad Tridentinum Concilium à Pio Quarto indictum proficiſcens, ex itinere diuertit Lauretum ſub natalem Virginis diem. Ibi fuſis rite precibus, votiſque perſolutis, ingens eum cupido inceſſit ædiculam Lauretanæ ſimilem in ſuo Epiſcopatu condendi: ad eamque rem, vnum aliquem lapidem ex Lauretana auferendi Domo. Verum loci Præſes, ac Patronus obſtabant, interdictum Pontificium intentantes. Itaque Soarius honeſtum præferens titulum cultus Lauretanæ Virginis propagandi in Luſitania, quod optabat impetrat à Pontifice: ab eoque aufert ſolemne diploma. Id per Franciſcum Stellam aſſeclam ſuum (nam ipſe Tridentum perrexerat) ad Laureti deſtinat Pręſidem, is erat Pompeius Pallanterius. Poſteaquam Conimbricenſis Epiſcopi ſacerdotem Pontificali armatum diplomate ad ſubruendum auguſtiſſimum cellæ parietem veniſſe fama vulgauit; enimuerò non Præſidi magis, & Canonicis, quam oppidanis aduenisque indigna res viſa: nec tam præſenti damno, quam futuro exemplo pernicioſa. Proinde paſſim querebantur, nimirum actum eſſe de ſacroſancta Virginis cella: ſi ſemel initium auferendi eius lapides fiat, breui nullum lapidem reliquum fore. Verumtamen quia Pontificis vrgebat authoritas; Canonici, ſacerdoteſque Lauretani re diuina, ac ſupplicatione ſolemni ritu peracta, in ſanctam Virginis cellam coeunt, imperata paſſuri magis, quam facturi. Cunctis tale miniſterium obſtinate detrectantibus, ipſemet Stella ferro lapidem è pariete eximit, auferique, cuſtodibus palam frementibus. Breue ſcilicet gaudium illud Epiſcopo futurum. Auferret ſane ſacrilegij miniſter Deo Deiparæque, quod vtique haud ita multo poſt, manifeſta eorundem ira eſſet relaturus. Vaticinatio fuit. Hæ voces velut è cœlo miſſæ audacis hominis perculere pectus: & ſimul anxijs impleuere curis. Itaque fluctuans animo, quamuis vrgente Epiſcopi ſui imperio, octo

dies

dies totos Laureti ſubſtitit: tempuſque id omne in placando omni ope Deo nequicquam abſumpſit. Neque enim cœleſtem leniuit iram, qui cauſam iræ penes ſe reſidere pateretur. Denique ipſis Kal. Decembribus dat ſeſe in viam, haud quaquam libero religione, ac ſolicitudine animo. Cæterum poſtquam ſine vllo incommodo peruenit Anconam; ſecurus periculi iter pergens, Deum adeſſe ſenſit ſuæ temeritatis vltorem. Ex eo quippe magnis ſemper imbribus, fœdaque tempeſtate vexatus, procedere tamen quo intenderat perſeuerans, multa magnaque adibat vitę diſcrimina, in ſingula pene momenta. Viæ lacunis, voraginibuſque teterrimæ paſſim obſtare: torrentes obuij exitium minitari: equus quo vehebatur identidem corruere; ipſe cadens lacunis hauriri: equi ſubinde mutati omnes inutiles reddi. Tandem varijs caſibus infauſtum iter morantibus, Decembri menſe exeunte Tridentum aliquando peruenit, maximis incommodis periculiſque defunctus. Ibi ſacrum lapidem Epiſcopo tradit exponens, quanti tandem ſibi ſtetiſſet. At Epiſcopus nihilo cautior factus, cum ſpatio diuinitus ad reſipiſcendum dato, non didiciſſet alieno periculo, didicit ſuo. In Februarij menſis exitu, ſacrum lapidem argentea incluſum theca tranſmittere parabat in Luſitaniam; cum repente ardentiſſima correptus febri, miſerandum in modum æſtuare, iactarique cœpit. Ad febrim accedebat grauius atque atrocius malum, acerbiſſimus inguinum dolor, qui nullam ſinebat eum capere quietis partem. Confeſtim medici adhibentur; qui omnibus rebus fruſtra tentatis (quia morbi cauſa conſuetudinem, morbus ipſe ſuperabat artem) ſeuere pronũciant, ſibi non vim, non cauſam morbi humanam videri. Proinde videret ipſe, ne forte illud eſſet ab irato Deo inflictum malum. Ita parum proſperæ curationis euentum veriti, deſperata eius valetudine diſceſſerunt. Ingens Epiſcopum ſolicitudo inceſſerat anxium, vtrum occulti alicuius delicti tam atroces ab ſe Deus expeteret pœnas. Ergo

deſtitutus à medicis æſtuare cœpit animo etiam magis, quam corpore: in ſe ipſum intentius inquirere: & Lauretani lapidis religione animum ſtimulante, precibus, gemitibuſque diuinum placare numen: ab Lauretana Virgine, ſi eam forte, violata eius Domo, læſiſſet, expoſcere veniã: ſe ad omnia deſcendere ſatisfaciendi cauſa paratum profiteri. Nec in irritum miſſæ preces, culpam vtcumque agnoſcentis, deteſtantiſque. Mox tacitam velut miſſam è cœlo vocem ſibi audire viſus, iubentis ademptum Lauretanæ Virgini ſaxum reddere. At ille veritus, ne id ægræ mentis vanum eſſet ludibrium, ſimul quod lapidem ex authoritate Pontificis haberet, ſimul quod tanto bono iam parto fraudare nollet Luſitaniam; animi, conſilijque incertus hærebat. Per hæc hebdomadæ aliquot abſumptæ. Stella Domini ſui iuſſu, cœnobijs duobus ſacrarum Virginum ciuitatis Tridentinæ ſanctimonia inclytis, Epiſcopi periclitantis ſalutem impenſius commendarat. Biduo interiecto vnum ex vtriuſque cœnobij primoribus reſponſum tulit. ſi ſaluus eſſe vellet Epiſcopus, Lauretanę Virgini redderet, quod abſtuliſſet. Ea vox, vt ad aures accidit Stellæ, animum quoque eius parumper defixit mirantis, quì tandem de Lauretano lapide reſciuiſſent clauſtris incluſæ virgines, quod Tridenti quidem præter ſe, & Epiſcopum (is rem ſumma ope taceri iuſſerat) ſciret nemo. Haud dubius ergo totam illis rem diuino indicio enunciatam, Domino comperta renunciat. Tum vero ille attonito ſimilis hæſit animo; inde conſcientia ictus crebros edidit gemitus. Mox ſuper lectum vbi iacebat, cubito alleuat ſe, & manus pariter oculoſque tendens in cœlum, manantibus vbertim lacrymis, veniam à Dei parente enixe petere inſiſtit: ignoſceret miſericors mater pio errori: ignoſceret delictum agnoſcenti ſuum. nihil Lauretanæ Domus penes ſe, ipſa inuita, futurum. Fixum ſibi, ac ſtatutum eſſe extemplo reſtituere, quod accepiſſet: nec deeſſe fiduciam recuperandæ per eam ſalutis, lapide reſtituto. Proinde ip-

de ipſa opem ferret, quæ ſpem feciſſet. Nec vero aut ille ſuum promiſſum, aut B. Virgo eius ſpem fefellit. Extemplo Soarius Stellam ipſum, qui attulerat, Lauretum referre ſaxum illud, & iter maturare iubet. Vix dum ille vrbis porta citato exceſſerat equo; cum Epiſcopus melius habere coepit. Igitur alterum protinus curſorem ſubmittit, qui Stellam ad iter quam maxime accelerandam incitaret. Itaque ille mutatis ſubinde equis, quietis pene immemor ſtrenue noctes, dieſque currebat, Lauretum peruenire feſtinans. Dictu mirabile. quo propius is Lauretum accedebat (vt poſtea temporibus inter ſe collatis intellectum eſt) hoc melius habebat Epiſcopus; vt eodem tempore, & Virgini lapis, & ſalus Epiſcopo redderetur. Neque illud carere viſum miraculo, quod Stella non magis difficili, impeditoque vſus erat itinere ſacrum auferens lapidem, quàm facili, expeditoque vſus eſt referens. Satis conſtat illum Tridento Anconam (ea xv. millia paſſuum abeſt Laureto) non toto quatriduo peruolaſſe. Adeo non tam equorum celeritas, quam diuina quædam vis obſecundabat redeunti. Hæc vti à me perſcripta ſunt, Raphaeli Rieræ, qui tũ Laureti erat Stella ipſe narrauit. Et ſane propter euidentiam miraculi, res eſt omnium ſermone celebrata.

Sacer lapis magno apparatu, concurſuque in ſuo loco repoſitus celebratur. *Cap. IIII.*

LAuretum Stella attigit menſe Aprili ineunte. Protinus Lauretano Præſidi rem omnem, vti geſta erat, enarrat: lapidem argentea, vt erat, theca incluſum cum Epiſcopi litteris tradit. Quæ fama poſteaquam ad Sacerdotum, qui male ominati rem tentantibus fuerant, peruenit aures; pro ſe quiſque fremere, Lauretanam Virginem natalis ſuæ Domus vltricem oculos aperuiſſe: & ne talia poſthac alius auderet, inſigne mortalibus documentum *Ann. Laur. Rier.*

dediſſe,

dediſſe. Cæterum vbi primum relati tam euidenti miraculo lapidis fama percrebuit; cunctis oppidanis, aduenisque viſendi ſtudio concurrentibus ad portam oppidi, ſupplicatio eſt indicta. Ibi Epiſcopi Conimbricenſis litteris (hæ rem totam ordine exponebāt) propalam recitatis, inſignis miraculo lapis ornatiſſimo impoſitus ferculo, quāta maxima tum potuit pompa à Præſide, Canonicis, Sacerdotibus circumfertur: & proſequentibus amplius duobus hominum millibus, in ſuum reponitur locum. Lapidi duplex ferri retinaculum additum, quod monumentum foret ad poſteros, cum temeritate hominum exemptum, Dei prouidentia reſtitutum. Ipſius quoque Epiſcopi litteræ ad Pium Pontificem tranſmiſſæ, tamquam miraculi teſtes: quę hodie cum alijs litteris ad Pontifices pertinentibus, Romæ aſſeruantur in arce S. Angeli, vnde nos exemplum habuimus, quod hoc loco viſum eſt intexere. Epiſtola igitur totidem pene verbis in Latinum tranſlata talis eſt.

Ioannes Epiſcopus Conimbricenſis Præſidi Lauretano S. D. Pro mea erga Lauretanam Virginem religione, eius ædis lapidē (quod te non fugit) ſumma ope, operaque curaueram. Ac demum interdicti Pontificij religione ſolutus à Pont. Max. impetraram, Cardinale Carpenſi Laureti Patrono non inuito. Sed Deus, ac Dei parens haud obſcuris argumētis mihi denunciarūt, vt ablatum lapidem Lauretum remitterem. Quippe, & inuſitatus morbus proſperam meam valetudinem diuinitus afflixit: & piorum, Deoque acceptorum hominum monitu hanc morbi cauſam eſſe perſpexi. Itaque ego nulla interpoſita mora, veniam pacemque precatus à Deo, eiuſque ſanctiſsima parente, ſacrum lapidem per eundem Franciſcum Stellam Aretinum ſacerdotē meum, qui iſtinc eum abſtulerat, referendam curaui. Quaſo obteſtorque, vt remiſſum qua par eſt religione, ceremoniaque recipias, ac ſuo reponas loco, vna cum calce, quæ pariter remittitur. Vnum oro, vt arculas argenteas, quibus ea continentur, velut teſtes miraculi aſſerues ad poſteritatis memoriam ſempiternā. Gratiſsimum quoque mihi feceris, ſi Card. Patronum, ipſumque

Ponti-

Pontificem Max. de tota re feceris certiores, vt poſthac Cenſuras Eccleſiaſticas in Aedis Lauretanæ violatores ratas eſſe, ac ſanctas velint; ne quid omnino illinc in poſterum auferatur. Orabis etiam cum iſtis ſanctis ſacerdotibus B. Virginem, vt hoc quicquid eſt, ſiue erroris, ſiue culpæ clementer mihi condonet. Data Tridenti VI. Id. Aprilis An. M. D. LXII. Subinde tam certi, exploratique miraculi fama per Picenum Italiamque vulgata, & loci religionem, cultumque plurimum auxit, & maximam vndique peregrinorum molem cum donis exciuit. Satis conſtat, intra vnius menſis ſpatium, ſupra quinquaginta aduenarum millia confluxiſſe Lauretum, ſtudio celebrati fama lapidis viſendi oſculandique. Nec alia res illa tempeſtate, ſermonibus hominum celebratior fuit.

Plures præcipitis ruinæ periculo liberantur.

Cap. V.

PER idem tempus Deipara Virgo haud minus mortalium ſalutem, quam domum ſuam ſibi cordi eſſe claris indicijs oſtendit. Troilus Ribera vir nobilis Lauretum voti cauſa petens, haud procul maritimo Piceni caſtello (Cryptas vocant) per abſciſſas rupes iter faciebat eques. Ibi fallente veſtigio, ex præcipiti in ſubiectum maris littus, equo inhærens deuoluitur, Lauretanam ſubinde Virginem inclamans. Nec defuit diuinum auxilium, mira res dictu, viſuque. Equus cum equite de rupe reuolutus hęſit in ſemita propter mare: ipſe etſi gladio ac pugione præcinctus, incolumis euaſit, nullaq. læſus ex parte. Ita Lauretum ad duplex votum exſoluendum, lætus, atque alacer tendit. Geminum ac par diſcrimen Saluſtius Turmæ equitum Pij Quarti Ductor, ope B. Virginis effugit. Is in altiſſima rupe Vmbriæ iter faciens ſimul, cum *Ann. Laur. Rier.*

equo corruit pręceps. Sed in ipſo periculo memor B. Virginis Lauretanæ, quam ante adierat, eam lacrymabundus implorat. Adfuit ruenti B. Maria, & pręſentem ſtrenue opem tulit. Itaque ille, etſi ad imam vſque vallem deuolutus, tamen ſine vllo grauiore incommodo ſurgit: & erat altitudo rupis vnde exciderat, paſſuum circiter quadraginta, ne quis eam rem miraculo eximeret. Parem in pari periculo B. Virginis opem expertus eſt Ioſephus a Mõte Feltrio. hic editã conſcenderat turrim ea mente, vt ibi ſtatueret trabem. Cæterũ veſtigio fallente delapſus ferebatur præceps. Ibi tum Virginem Lauretanam inuocans extemplo viſus ſibi cæleſti quadam vi, & quaſi manu ſuſtineri, ac paulatim ſine moleſtia, periculoque demitti. Igitur ſolum attigit integris non ſolum membris, ſed etiam ſenſibus. Illud autem admirabilius. Auguſtinus Cremenſis Catari erat in Vrbe Dalmatiæ an. M.D.LXIII. Iunio ineunte, quo tempore ingens terræmotus bonam vrbis partem hauſit, ſtrauitue: & Franciſcum Priulum Prætorem vrbis cum vniuerſa familia oppreſſit, haud miſerabili magis, quam memorabili clade. Tum igitur Auguſtinus, & ipſe communis periculi particeps, B. Mariæ Lauretanæ implorauit opem. nec fruſtra. Illi ſubita parietis ruina obruto, veſtimentis dilaceratis, ſumma duntaxat cutis perſtringitur. Ita omnium opinione mortuus, repente B. Mariæ præſidio exſiſtit incolumis. Cuius incolumitatem illuſtriorem fecit aliorum, qui par diſcrimen ſubierunt, fæda ac miſeranda mors.

Nauta amiſſa naui, B. Virginis ope ſeruatur, Cap. VI.

Ann. Laur. Riera. NEC minor in maris tempeſtate ſedanda, quam in terræmotu B. Virginis Lauretanæ vis exſtitit. Sardus erat quidam Nauarchus peritus, & grauis. qui è Con-

ſtanti-

ſtantinopoli onuſtam mercibus adducebat nauim. Hæc anno huius ſeculi LX. ipſo peruigilio S. Andreæ Apoſtoli, cum iam Miletus Aſiæ minoris Vrbs in conſpectu eſſet, repente aduerſa tempeſtate iactata, & validis verberata fluctibus fatiſcere demum cœpit. Præciſa erat portus capiundi ſpes: & iam magis ac magis dehiſcens carina vbertim admittebat aquam. Ergo Nauarchus, nautæque humana ope damnata, Virginem Lauretanam inuocant ſupplices. Nec ſurdis auribus adhibitæ preces. Iam prope erat, vt nauis paulatim demerſa hauriretur fluctibus, cum nautis, vectoribuſque veniam expoſcentibus à Deo, Deiparæque auxilium certatim implorantibus, repente inter nocturnas tenebras lux coeleſtis affulſit, quę trepidis, & animos addidit, & viam oſtendit ſalutis. Protinus ſcapham vident in medijs fluctibus pene immotam ſtare, velut ad effugium diuinitus paratam. Itaque cuncti ea ſtrenue conſcenſa, cęleſtem lucem pręeuntem, quaſi Ducem itineris ſequuntur, Lauretanam eſſe Virginem rati. Paululum prouecti erant, cùm reſpectantes, nauim quam reliquerant, hauſtam fluctibus cernunt. Deo igitur Deique parenti gratias, laudeſque iterantes, cœleſtis luminis ductu in Adriaticum ſinum deferuntur: ac tandem Italiæ oram legentes Anconæ portum capiunt, ipſo Apoſtoli Andreæ ſolemni die. In terram egreſſis haud minori miraculo itineris celeritas, quam Ducis benignitas fuit. Compertum quippe eſt paucarum horarum ſpatio millia paſſuum amplius mille ſcapham peruolaſſe. Itaque è veſtigio Lauretum profecti, ſacriſque myſterijs rite expiati. Deiparæ Virgini vota exſoluunt, miraculum enunciant, predicantque.

Duo viri à fulminibus liberantur. Duæ item feminæ ſteriles fecundantur. Cap. VII.

Ann. Laur. Rier.

HAud præſentior aduerſus fluctus, quam aduerſus fulmina tutela exſtitit B.Mariæ Lauretanæ. Antonius à Sancto Stephano caſtello Lucenſis ditionis, atroci procella ingruente, turrim aſcenderat, campanum æs de more pulſaturus. Ecce tibi fulmen è cœlo ruens turrim cnm Antonio deijcit, qui fulmine afflatus, ruinaque oppreſſus, quatuor horas iacuit exanimis, obrutuſque ingenti cumulo ſaxorum. Plura eodem tempore pro Antonij ſalute vota à propinquis Lauretanæ Virgini facta, quæ haud irrita ceciderunt. Remoto lapidum aceruo, Antonius viuus, valenſque inuentus eſt. Qui breui receptis viribus, Lauretum venit anno. M.D.LXV. Deiparæ vota reddit, expertam eius opem impenſius prædicans. Huic aliud ſimile eodem fere tempore. Marcus Antonius Ficinus à Monte Feltrio Carpenianę Parœciæ Sacerdos turri conſcenſa, ære campano ſacrificij ſignum dabat. Cæterum ſubito ictus fulmine Lauretanam inclamat Virginem. Ergo afflatis dumtaxat humeris, veſtituque ambuſto, ipſe haud dubia B. Mariæ ope ſaluus euadit. Propere igitur Lauretum accurrit, vota Deiparæ reddit, votiuam tabellã nobilem, miraculi ad poſteros teſtem relinquit. Nec minus abolita clariſſimis feminis ſterilitas Lauretanam Virginem eadem tempeſtate nobilitauit. Iulia Roburea Alfonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis vxor complures in matrimonio annos cum viro tranſegerat prolis expers. Ad vltimum damnatis medicorum remedijs, ad diuinum ſe conuertit auxilium. Itaque Lauretum venit, animoque rite expiato, Virginem implorat, ſtirpem virilem expoſcens. Addit precibus votum, ſi filioli compos fiat, ſe ad Lauretanam

tanam

tanam Aedem cum muneribus redituram, aut ſi quis caſus obſtet, pios viros ſuo loco cum donis eſſe miſſuram. Concepto voto domum reuerſa prolem concipit; feliciq. enixa partu pulcherrimum edit infantem. Protinus voti memor infantis effigiem egregie pictam in argẽtea lamina pondo librarum octo: donum Virgini miſit, & additus dono titulus accepti beneficij teſtis.

ALPHONSVS ESTENSIS ALPHONSI F. ALPHONSI DVCIS FERRARIENSIS N. ORTVS IDIB. NOVEMB. A. MDL.X.

Huius miraculi fidem aliud conſimile adfirmauit. Bernardinus Sanſeuerinus Biſiniani Princeps huius, qui nunc eſt, pater plurimis iam annis cum coniuge exactis, nullos ex ea liberos genuerat. Igitur medicorum, medicamentorumque ſpe diu fruſtratus mœrebat non modo expers, ſed etiam expes prolis, quam relinqueret tantæ ditionis hæredem. Ad vltimum, quod natura negabat, ſibi à Deo, Deiparaque precibus expoſcendum ratus eſt. Voto nuncupato, Lauretum cum vxore contendit. B. Mariam ambo enixe orant, optatam ſobolem expoſcunt. Nec diu B. Virgo eorum ſpem morata eſt. Enimuero priuſquam Laureto diſcederet Princeps, vxorem vterum ferre certis indicijs comperit. Ac breui conſtitit, eodem illam tempore, quo votum domi conceperat, optatam ſobolem concepiſſe. Cæterum neſcio quo caſu id beneficium breue, ac fugax fuit. Princeps paucis annis, quam pater factus erat vnico orbatur filiolo. Nec tamen B. Virgo eius fefellit ſpem, votumque. Haud ita multo poſt alium genuit filium, qui patri ſuperſtes, nunc Biſiniani obtinet Principatum.

Multis

Multis deſperata ſanitas reſtituitur. *Cap. VIII.*

Trad. Laur. Ann. Laur. Rier.

MVltis quoque per eadem tempora ſalus, (quamuis deſperantibus medicis) diuinitus reddita. Cardin. Moronus periculoſo implicitus morbo, Lauretana Virgine implorata, repente conualuit. Itaque damnatus voti Lauretum protinus venit: & gratijs B. Mariç actis, exſtare voluit diuini muneris monumentum. Proinde votiuam inibi tabellã ſuſpendit hoc maxime titulo inſigne.

Card. Moroni votum.

IOANNES CARD. MORONVS EPISCOP. PORT. GRAVISSIMA INFIRMITATE OPPRESSVS, A DEO. INTERCESSIONE B. MARIAE SEMPER VIRGINIS LIBERATVS, VOTI COMPOS VOTVM PERSOLVIT. AN. DOM. M. D. LXV.

Iulian. Cæſar. mortifero morbo eripitur.

Aliud admirabilius, ſed paulo antiquius. Iulianus Cæſarinus ex Romanis proceribus, de quo ante diximus, anno huius ſeculi LX. difficili, diutinaque dyſenteria confectus iacebat. Exhauſtæ iam erant cum cruore vires: nec magis iã medici, quã eius domeſtici, ac propinqui actum de eius ſalute credebant. At ille expertæ alias Lauretanæ opis memor Deiparam inuocat. Protinus cunctis ſtupore attonitis, periculo eximitur. Quo propior morti erat, hoc euidentius miraculum fuit. Sequitur aliud genere diſpar, euidentia par. Ioãnes Baptiſta Aſculanus multos iam annos laborabat ex pedibus adeo grauiter, vt per ſe ipſe ingredi haud quaquam valeret. Igitur damnata medicorũ ſpe, Lauretanæ Virginis opem implorat. Confeſtim equo vectus Lauretum venit. Quo poſt quam ventum eſt à duobus familiaribus in auguſtiſſimam cellam delatus, ſimul B. Mariam venerabundus ſalutauit, extemplo priſtinam valetudinem recuperauit pedum, ſic prorſus, vt per ſe ſuis pedibus regrederetur ad hoſpitium, vnde eum in ſacro-

Aeger ex pedibus ſanatur.

ſanctam

ſanctam cellam modo ægrum, & pedibus delatum eſſe conſtabat.

Duo Energumeni à vexatoribus Diabolis liberantur. Cap. VIIII.

PAr in Diabolis, atque in morbis depellendis, B. Mariæ virtus enituit. Illyrica ſubinde mulier Paula nomine, diu multumque à malorũ Dæmonũ manu, quibus obſeſſa tenebatur, vexata, ſane mirabile, ac multiplex Lauretanis incolis, aduenîſque ſpectaculum præbuit. Quippe cæteris humanis, diuiniſque remedijs fruſtra tentatis, ſtatuit ad Lauretanam Virginem, certiſſimum ærumnoſorum perfugium, conferre ſe ſe. Ergo Dæmones ſalubri conſilio, itinerique obſtare ſumma ope: & Lauretanum iter ingreſſam modo fremitu, & clamore horrendo in fugam auertere; modo obfirmato pergentem animo proſternere humi; aliàs ipſam inſtigantes in itineris comites, ſocioſque incitare adeo, vt latratibus, infeſtiſque dentibus cunctos à comitatu abſterreret ſuo. Vicit tandem ſiue hominum pietas, ſiue diuina vis diabolicas artes. Itaque quamuis obluctans mulier à valida, minimeque timida virorum manu abripitur in ſacram Virginis cellam. Pius, ac peritus talium rerum Sacerdos adhibetur, à quo per incarnati inibi Verbi myſterium iuſſi faceſſere, tandem Diaboli abſcedunt muliere exanimi relicta. Cæterum illam deinde receptis viribus, actiſque gratijs abeuntem haud procul Laureto rurſus inuadunt. Igitur retracta ad B. Virginis Aedem, mira quædam edere coepit, vaticinari, arcana patefacere multorum, peregrinis ſubinde linguis eloqui. Mirari primo qui aderant, inde admiratio in miſericordiã verti. Horum precibus exorata Virgo exagitatores illos denuo exegit. At ſimul Laureti porta mulier pedem extulerat, confeſtim importuni illi vexatores aderant: & in

eam velut in antiquam poſſeſſionem ſuam remigrabant. Id cum iterum, ac tertio eueniſſet, ſenſit aliquando mulier, ſe extra Lauretum ſaluam tutamque ab illis monſtris eſſe non poſſe. Conſtituit ergo Laureti vitam degere: & ſub vmbra, tutelaque B. Virginis latere, eius ſemper obſequijs addicta. Ibi inter talia annis aliquot abſumptis, felici exitu, ſupremum expleuit diem. Aliud eodem fere tempore accidit huic haud ſane abſimile. Alexander Galiardinus Bononienſis caupo fuit non ignobilis, is cariſſimam habebat filiam à quatuor teterrimis diabolis vexatam miſeris modis. Hanc igitur magna ſpe, ac fiducia Lauretanæ Virginis fidei, tutelæque commendat. nec fruſtra id fuit. paulopoſt excuſſis infeſtis illis vexatoribus, liberam & incolumem filiam recipit. Voti compos eam Lauretum adducit, Deiparæ Virgini gratias acturus, & Lauretani auxilij teſtis futurus.

Cæcis duobus videndi facultas redditur. Cap. X.

Anna. Laur. Rier.

CAecis quoque per idem tempus videndi facultas reddita. Petrus Romanius Fauentinus erat Neophytus, qui vtroque captus lumine multos iam annos in perpetua nocte moeſtam trahebat vitam. Ad vltimum fama de Lauretanæ Virginis miraculis Fauentiam perlata ad ſpem viſus recuperandi torpentem eius animum erexit. Lauretanam itaque Virginem bonæ ſpei plenus implorat. Mira dictu res. dum magna ſpe inſiſtit precibus, repente diſcuſſis tenebris, optatam recipit lucem. Res ſatis teſtata. Lauretum is venit anno M. D. LXIIII. Annibalis Caſalij Protonotarij Apoſtolici, & Vicarij Fauentini teſtes miraculi litteras protulit. Aliud huic ſimile. Thomas Parmenſis ex longinquo, atrocique oculorum morbo, lumina prorſus amiſerat. Deſperata igitur humana ope, ad diui-

nam

nam ſpectare coepit. Nocte quadam acri oculorum dolore excitus è ſomno, in ipſo grabato, vbi iacebat, ſubmittit genua venerabundus: Deiparam Lauretanam enixe inuocat: veniam à Deo, luminumque ſanitatem per eam expoſcit. ſi voti compos fiat, ſe Aedem Lauretanam aditurũ vouet. Et votum Deo, Deiparæque cordi fuit. Cum recubuiſſet Thomas, dulci correptus ſomno pauliſper quieuit. Inde euigilans orti iam ſolis lucem ſanis, ac vegetis oculis lætus hauſit.

Mutis duobus B. Virgo ſubuenit, alteri linguæ vſum, alteri exſectam linguam reſtituens.

Cap. XI.

NEc in cæcos B. Virgo benignior, quam in mutos fuit. Ioannis Vbaldi Patauini clariſſimi copiarum Ducis paruus filius comitiali oppreſſus morbo, vſum amiſerat linguæ. Iam triennium mutus, atque æger iacebat, cùm eius pater deſperata medicorum ope, Lauretanæ Virginis implorauit auxilium. Et auditæ paternæ pro filio preces. Extemplo puer priſtinam non tantùm linguæ, ſed corporis quoque diuinitus recuperat ſanitatem. Igitur anno M. D. LXIII. Lauretum à patre adductus: Deiparæ Virgini ab vtroque grates actæ: vota impenſe reddita: tota res Lauretano Præſidi, alijſque compluribus enarrata. Cæterum illud, vel maxime admirabile. Samnitum Prætor Lauretum petens Ciuitellam diuerterat. Ibi nefarium hominem deprehendit aſſuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam, impia ſubinde verba iactare. Ergo infenſus ira protinus exempli prodendi cauſa, væſanam magniloquẽtiam exſecta ſacrilego lingua vindicauit. Neque hoc contentus, eundem in cuſtodiam traditum aſſeruari ſedulo iubet, quoad ipſe Laureto regreſſus decerneret, an eſſet poena grauiore multandus. Itaque miſer ille ſupplicio *Am. Lam. Rier.*

ſumpto æger, intentato ſolicitus aliquando reſipuit, & ſcelere in cultum verſo, dies noctéſque Lauretanam Virginem tacitis placare precibus, votiſque inſtitit, obſecrãs, vt infenſam ſibi Proregis leniret irã: daretque facultatem animi labes ſacra confeſſione expiandi. Nec ingratæ Virgini, irritæue extiterunt impij hominis reſipiſcentis preces. Haud multo poſt ſpecies Deiparæ illi in ſomnis oblata eſt iubentis eum bono animo eſſe: breui fore, vt cuſtodia emiſſus ad Lauretanam Aedem pergeret ſibique peccata confiteretur, nouæ linguæ ſubſidio. Prædictionem comprobauit euentus. Experrecto quædam quaſi lingua renaſci cœpit, qua haud ſane ægre ſenſa exprimeret mentis. Et Prorex Laureto reuerſus re cognita, parcendũ exiſtimauit, cui Virgo ipſa pepercisset. Confeſtim igitur eum liberum dimittit monitum, vt ſuo poſthac periculo ſaperet. Datiſque ad Pœnitentiarios litteris miraculi teſtibus, Lauretum deſtinat gaudio geſtientem ad vota reddenda. Quo vbi venit, haud magis Proregis epiſtola, quã res ipſa miraculi fidem omnibus fecit. Quippe patefacto oris hiatu (mira dictu, mirabilior viſu res) ſimul reciſam linguam, ſimul lingulam quandam ſubnaſcentem videbant, & tamen vbi ille vellet, quanquam bleſo ore, audiebant loquentem. Neque hic ſtetit res. Poſtquam domum reuertit, ſacris myſterijs bis, terue perceptis, noua lingua ad iuſtam magnitudinem nouo excreuit miraculo. Itaque Lauretum denuo ad agendas Deiparæ grates profectus, ijs ipſis, qui exſectam paulo ante linguam viderant (quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui hæc memoriæ prodidit) immortali B. Mariæ dono renatam oſtendit, cunctis rei nouitate atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illuſtre miraculum B. Virgini gratulantibus.

Lau. Riv.

Iudæus à Beata Virgine vinculis exemptus, Laureti Baptiſmo expiatur.
Cap. XII.

NEc Chriſtianos ſolum, ſed etiam Iudæos Laureta-na Virgo ſuæ benignitatis, opiſque participes fecit. Nazarenus fuit Hebræus vir alioqui grauis, ac prudens, qui Nazarethi habitabat in vico, vbi Lauretanæ Domus diximus exſtare veſtigia. Is igitur ex loci vicinitate, de quo multa fando audierat admirabilia, religionis aliquid traxerat. Iam Mariæ ciui fauebat ſuæ, quam tanto à Chriſtianis coli honore cognorat: iam Chriſto ipſo eandem ob cauſam haud ſane multum abhorrebat. Cæterum, vt eſt genus hominum durum, atque obſtinatum, in auita hærebat ſuperſtitione, qua illum à puero diuturnus vſus implicauerat. Sed grauis calamitas tandem obfirmatum animum flexit. Iam ſexagenarius ob patratum neſcio quod facinus, à Turcis cõprehenſus æternis addicitur vinculis. Tandem ærumnis confectus, deſperata ſalute corporis, de animo cogitare cœpit. mox iniecta diuinitus ingenti ſalutis cura, veniam à Deo mundi conditore ſuppliciter orare inſtitit. ita victa malis obſtinatio, & diuina lux caliganti animo oborta. Ergo, & Ieſum Chriſtianorum Meſſiam, & Mariam Meſſiæ matrem venerabundus implorat. Id cum impenſe feciſſet, diſcedit cubitum ſpei, ac fiduciæ plenus. Nec vana ſpes fuit. Eadem nocte ſecundum quietem ſe illi obtulit Chriſtus: quem cum ex ſpecie, qua coli à Chriſtianis ſolet, agnouiſſet; verum Deum, ac Meſſiam profeſſus, inſuper ſupplex adorauit in ſomnis. Confeſtim illi eximia pulchritudine, ac maieſtate virginis ſpecies oblata eſt, cuius iuſſu altera virgo eius comes Nazarenum catenis eximit, quibus vinctus tenebatur: fori-

Ann. Laur. Riera.

buſque carceris reſeratis, adhuc ſopitum ſomno, ſed per quietem, quæ re ipſa gerebantur, videntem deducit ad portum. Ibi potior virgo, quæ alterius Domina videbatur, nauiculam paratam oſtendens; Iam liber es, inquit, eſto liberatricis memor. en tibi effugium paraui, nec dero fugienti, tu modo Lauretum, quod oppidum in Piceno Italiæ regione eſt, pete: ibi Chriſtianis initiatus ſacris ad Mariæ aram te ſiſte, ſuſcepto conſilio vitæ melioris. Tum vero Iudæus gratijs vtrique, ac præcipue ei, quæ primas tenebat, actis, orare liberatricem ſuam, vt nomen ſuum edere ne grauetur. Et illa cum ſe Mariam Lauretanam, Luciam comitem eſſe dixiſſet; ſubito cum comite ex oculis abijt. Tum demum euigilans Hebræus veram rei geſtæ ſpeciem ſibi in quiete oblatam ſenſit. Dum rei miraculo defixus hæret, nullumque grates agendi Lauretanæ Virgini modum facit; nauicula, quam B. Maria hortante conſcenderat, per maria ſua ſponte incredibili celeritate ferebatur. Itaque diuino ductu impulſuque Anconam appellitur biduo. Miraculo deinde vulgato, à primoribus ciuitatis benigne accipitur; quibus inſtantibus, vt ibi baptiſmate ablueretur, atqui, inquit, Maria Chriſti mater Laureti me baptizari iuſſit. Ergo à Prætore Anconitano cum litteris commendatitijs dimiſſus Lauretum pergit: ibique Chriſtianis myſterijs ſatis imbutus Baptiſmo expiatur, ingenti vel ſuo, vel aliorum gaudio, ſeculi huius anno LX. Tota res ab ipſo per interpretem Rieræ, & alijs enarratur.

Præcipua dona Pio Quarto Pontifice Maximo Lauretum lata, miſſaue. *Cap. XIII.*

NEC verò tam fœcunda miraculorum tempeſtas donorum ſterilis fuit. Cardinalis S. Præxedis effigiē ſuam à pectore argenteam pondo librarum quinque. Franciſcus Caetanus è nobilitate Romana aræ ornatum aureum, Cardinalis Aragonius argenteum Phrygio opere & margaritis inſignē. Alij porro minus nobiles alia minora dona Virgini attulerunt, quę perſequi operæ nō eſt. Nec ignobilis pietas illuſtrium feminarum. Iuliæ Roboreæ Ducis Ferrarienſis donum fuit ſacerdotalis veſtis argentea opere Phrygio magnifice picta. Ducis Grauinenſis amiculum aræ ex Attalica veſte criſpante. Ducis Montis Alti pluuiale ex textili aureo: alterum Clœliæ Farneſiæ ex holoſerico raſo lilijs aureis conſpicuum. Nec facile alias inſigniora tam paucis annis ciuitatum, oppidorumque dona exſtiterunt. Spelli oppidi in Vmbria effigies miſſa ex argento librarum trium. Altera Sarnani in Piceno lib. XI. Alia Arretij in Hetruria pondo VIII. Firmi quoque vrbis ſimulacrum argenteum alterum (nam alterum ab hinc xxx. fere annis miſſum) pondo XVIII. his tertium acceſſit hac eadem tempeſtate, item ex argento, & magnitudine, & pondere eximium, quippe librarum XXXIII. Adiectus titulus votiuum donum nobilius fecit.

Codic. Laur. Car. S. Præxedis D. Franc. Gaetani D. Card. Aragon. D. Duc. Ferrarien. D. Ducis Grauienſis D. Ducis Montis Alti D. Cleliæ Farneſiæ D. Spelli oppidi ſimulacr. argent. Sarnan. ſim. argent. Arretij ſim. argent. Firmi trit ſimul. argen.

VRBS FIRMANA
OB RECVPERATAM REMP.
EFFIGIEM HANC ARGENT.
DIVAE MARIAE DE LAVRETO
VOTO PVBLICO D.

Hęc præcipua Lauretani ſacelli miracula, ac munera Pio Quarto Pont. Max. litteris conſignata reperio.

Pij Quinti de Lauretana Æde teſtimonium, & Roberti Saxatelli, illo Pont. opera. Cap. XIIII.

Anna. Laur. Riet.

PIus Quintus inde Pontificatum excepit, cuius inclyta omnibus in rebus pietas in D. Mariæ Lauretanæ cultu ſatis enituit. Nihil quippe illi antiquius fuit, quam vt eam ſuo aliquo munere inſignem faceret. Proinde inter primum Pontificatus ſui rudimentum, illuſtre in ſuo monumento teſtimonium Aedi Lauretanæ dedit. Nam cereos agnos de more conſecraturus, effigiem Domus Lauretanæ Angelorum humeris vectæ multis eorum imprimendam curauit, cum hoc titulo. VERE DOMVS FLORIDA. QVAE FVIT IN NAZARETH. Quod quidem talis, tantique Pontificis teſtimonium eo nobilius cenſendum, quo plures orbis Chriſtiani partes cum ſacrorum agnorum imaginibus peragrauit. Neque eo contentus Pontifex, Cardinali Vrbinati Aedis Lauretanæ tutelam impenſius commendauit monito, nihil vt omnino prætermitteret, quod ad eam ornandam, augendamque pertinere exiſtimaret. Itaque optimus Cardinalis ad id ſua ſpōte pronus, impellente Pōtifice, in eam curam totus incubuit. Iam Pallanterij ſucceſſor Io: Baptiſta Maremontius ſemeſtris Præſes procuratione Lauretana, Vbaldus deinceps Venturellus paucis menſibus etiam vita exceſſerat. Cardinalis itaque Vrbinas pari animi magnitudine, ac pietate mandata Pij Pont. faceſsens, Robertum Saxatellum virum manu, & conſilio promptum Laureto præfecit cum ſumma poteſtate. Nec egregia Saxatelli induſtria Cardinalem, aut Pontificem fruſtrata eſt. Illo authore, ad augendam Lauretani templi maieſtatem, ſacerdotum, Canonicorumque delectus habitus: eximijs vndique cantoribus ingenti pretio

Pij V. teſtimonium.

Robert. Saxatellus.

tio accitis, ſymphoniacorum chorus nulli ſecundus inſtitutus; ſacra ſupellectile aucta, tabulis pulcherrime pictis, peripetaſmatis comparatis nitor altaribus, templo ſplendor additus. Illa autem pręcipua auguſtiſſimæ cellæ ornamenta. Sibyllarum ſigna duodecim è Liguſtico marmore pulcherrime facta, & in ſuis loculamentis diſpoſita: quatuor inſuper æneæ valuæ ianuis impoſitæ mirabili opere cælatæ, Hieronymi Lombardi nobilis illa ætate ſtatuarij, & fictoris manu. His acceſſerunt bina Principum Apoſtolorum ſimulacra ex argento ſeſquicubitalia, præclara arte perfecta, pręcipuis diebus feſtis ornamento altaribus futura. Quin etiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ honeſte, ac decore ad ægros deferendæ, mortuis rite ſepeliendis, Nominis Ieſu, & Mariæ religioni tuendæ, ſodalitates quatuor inſtitutæ, Corporis Chriſti, Miſericordiæ, Nominis Ieſu, Roſarijque B. Virginis. Et ſuum, cuique ſacellũ cum ſacra ſupellectili, ſuus ad conueniendum locus, ſuæ leges datæ. Quibus ſodalitatibus ingens ſane, & Lauretano populo commodum, & templo decus acceſſit. Nec templi finibus Saxatelli ſe tenuit cura. Publicam bibliothecam cuiuſque generis libris inſtruxit. Noxijs nemoribus, quæ ſupererant exciſis, circumiacentes lacunas penitus exſiccauit. Submotoque Muſionis fluuij męnia ſubterlabentis alueo, Lauretanam habitationem lõge ſalubriorem fecit. Inde vt peregrinis Lauretum petentibus liber, & expeditus vndique pateret acceſſus, vias omnes, quæ Lauretum ferunt, iam longo vſu vitiatas, atque corruptas partim laterculo, partim glarea ſtrauit. Quamquam horum pleraque Pio V. Pontifice inchoata opera, Gregorio XIII. deinde perfecta. Nauigium quoque ingens ſubuehẽdis è Dalmatia ingentibus ſaxorum glebis, ad Lauretanæ ædificationis vſum, Saxatellus ædificauit: magnamq. ſaxorum vim Lauretum ſubuehendã curauit. Hiſce lapidibus à Ioanne Boccalino architecto haud ignobili, præclara Baſilicæ Lauretanæ facies antiquo opere ſtrui cœpta.

Sibyllarum ſigna XII.

Aeneæ valuæ quatuor Binæ Apoſtolorum ſimulacra.

Domus

Domus Lauretanæ hoſpitalitas, eleemoſynæq. Cap. XV.

Hoſpitalitas Domus Lauret.

NEC Saxatellus templo, oppido, vijs ornandis intentus, caritatis, benignitatiſque Chriſtianæ munia intermiſit. Centenos primo, inde ducenos, ſæpe etiam trecenos, eoque amplius pauperes peregrinos hoſpitio exceptos, haud ſane maligne alebat quotidie. Et quoniã vetus Xenodochium viris erat attributum; creſcente in dies feminarum quoque multitudine, nouum mulieribus hoſpitium exſtruxit, inſtruxitque. Honeſtiores etiam pauperum, quos à petenda propalam ſtipe retardabat pudor, occulta iuuabat ope. Principes quoq. viros humaniter æque liberaliterque tractabat. Lauretanam Virginem omnium gentium, omnium ferme ordinum hoſpitam diceres. Haud facile alias apparuit magis diuina prouidentia in humana iuuanda benignitate. Eleemoſynarum, votiuæque pecuniæ tanta vis exſtitit, vt ad tot, tantaque pietatis, Chriſtianæque benignitatis opera non ſuppeterent ſolum, ſed etiã ſuperarent. Adeo res familiaris Dei cauſa erogata, diuina quadam vi cumulatior redit. Itaque Saxatellus œconomus vnicus ad augendam rem Lauretanam verſus, ex pecunia, quæ ſupererat (quo benignitatis fons perennis foret) luculenta ſane, ac frugifera coemit prædia. In agro Recinetenſi Montem Vrſum à Comite Bonarello aureorum millibus decem, totidem Turſcionem in Auximano, alios porrò fundos in agro Caſtri Ficardi, egregium prædium (Aquauiuam appellant) duobus aureorum millibus, & ducentis. Vineas tribus millibus. Et prata, ac ſaltus, ne vacua, & otioſa forent, armentis boum, equarum, bubalorum, gregibus ouium, caprarum, aliorumque pecorum impleuit. Quibus ex rebus cum aliç commoditates plurimç, tum vero annuum vectigal ternorum ferme aureo-

aureorum millium Lauretanæ Domui acceſſit, haud leue ſubſidium beniguitatis, cultúſque diuini. Hæc autem fere omnia, ſub Pio Quinto Pontifice, ſuperfluente pecunia comparata. Adeo quod abunde dabatur pauperibus ingenti foenore reddebatur. Deum cum hominibus liberalitate certare diceres. Quin etiã Pius Dei Vicarius diuinum pro virili parte conſilium iuuit. Nunquam enim cuiuſquam gratia, aut preces flectere eum potuere, vt vota in Lauretanæ Domus emolumentum cedẽtia in alia pietatis opera conuerteret. adeo fixum habebat, vnde accepta eſſent beneficia à vouentibus, inibi vota ſoluenda: nec vſpiam melius votiua munera, quam in Lauretanæ Domus ornamentis, & hoſpitalitate collocari. Pij V. Decretum.

Pij Quinti, & aliorum Principum dona. *Cap.* XVI.

NEC nullam Pius Pontifex ſui erga Lauretanam Virginem meriti gratiam, ac mercedem retulit. Michaelem Bonellum Cardinalem Alexandrinum ſororis filium graui, periculoſoque implicitum morbo, iamque morti proximum dolens, B. Virgini Lauretanæ pro illo vota fecit. haud fruſtra. Extemplo Pij Pontificis preces auditæ, moribundo Cardinali ſalus reddita. Et Pontifex voti compos celeritati diuini muneris pari religionis celeritate reſpondit. Vt primum Michael per valetudinem iter illud exſequi potuit, eum ad Lauretanam Virginem miſit, receptę diuinitus ſalutis teſtem votiuo cum dono futurũ. Donum fuit aræ, & Sacerdotis præclara veſtis argentea, opere criſpo, hoc inſignius quod, & pro egregij Cardinalis ſalute, & à Pio Pontifice mittebatur. Nec facile alias plura Lauretum tam paucis annis Cardinalium munera allata. Cardinalis Mantuani aræ ornatus ex veſte Attalica. Cardinalis S. Georgij ex eadem materia veſtis ſacerdotalis.

Ama. Laur. Rier. Pij V. vota, ac D.

Card. Alexandrini D.

Card. Mantuani D. Car. S. Georgij D.

Card. Montini D. Card. Riarij D. Card. Montis Alti D. Car. Altem. Donum. Card. Peruſini D. Card. Pacechi D. Card. Venerij. D. Camertium D. Fabrianenſ. Donum. Viterbienſ. Donum. Princip. Aſcul. D.

dotalis. Cardinalis Montini aræ amictus ex Attalica veſte bifariam criſpante. Cerdinalis Riarij aræ, & ſacerdotis ornatus ex veſte Damaſcena, effigieſque Chriſti, & candelabra cubitalia ex argento, haud vulgari opere facta. Cardinalis à Monte Alto (is poſtea Xyſtus Quintus Pontifex fuit) duplex altarium, ſimplex ſacerdotis, ac miniſtrorum ſolennibus ſacris operantium amictus, ex veſte Damaſcena aureis floribus ingentibus pulchre, ſciteque diſtincta. Cardinalis Sittici ab Altaemps ſacerdotalis ornatus ex auro, argentoque, opere quà reticulato; quà Phrygio contextus. Cardinalis Peruſini ſacerdotalis amictus opere Phrygio conſpicuus: alius huic fere geminus eadẽ materia,& opere Cardinalis Pacechi. Denique Cardinalis Vinerij pluuiale prǫclarum, ſacerdotiſque,ac miniſtrorum ſolemni cærimonia ſacrificantium veſtes aureæ,ingentibus floribus; auro criſpo, & opere Phrygio inſignes. Nec ciuitatum munera deſiderara. Camertes pluuiale ex textili aureo: Fabrianenſes calicem argenteum magnitudine, ac pondere egregium:Viterbienſes aræ amictum ex auro, argentoque contextum Lauretanæ Virgini dona portarunt. His acceſſere alia haud ignobilia, vel illuſtrium virorum, vel ignotorum hominum dona, quorum memoria, neſcio quo caſu intercidit. Exſtat nudi pueri ſtatua pene cubitalis ex auro ſolido, mira arte perfecta, cuius author, & cauſa non proditur. alij alio trahunt. vulgatior fama eſt, votiuum donum eſſe Principis Aſculani vnius è Regni Neapolitani proceribus: ei filium in Principatus auiti ſpem genitum, pede, manuque contracta deformem fuiſſe. Cæterum B. Virgine Maria Lauretana à parentibus inuocata,votoque pro filij incolumitate ſuſcepto,dininitus illi vſum redditum eſſe membrorum. Et ſane huic famæ ipſius quoque ſtatuæ habitus ac geſtus fauent. Exſtant alia præterea dona eiuſmodi, quorum nulla, quod ſciam, in litterarum monumentis exſtat memoria. Huius quippe tempeſtatis codex donorum,

decen-

decennium ferme complectens, aut intercidit, aut meas effugit manus. Proinde quæ dona extremum Pij Quinti, primumque Gregorij XIII. Pontificatum attigerunt, eorum memoriam, quia non accepi, non queo prodere. Cætera cum fide tradidi, vti accepi ex monumentis litterarũ. Per id tempus argentea ſimulacra Aſculi, Recineti, Montis ſancti, Bononiæ, Mediolani, & alia, quæ in ſacrario hodie viſuntur, B. Virgini dicata exiſtimo. Bern.Cyril.

Alij ab inundatione fluminis, alij à tempeſtate maris, & prædonibus liberantur. Cap. XVII.

COmplura etiam huius tempeſtatis produntur miracula. Dominicus à Caſtro Florentino homo ruſticanus haud procul Elſa flumine in tugurio habitabat cum ſocijs duobus. Nocte igitur quadam maximis imbribus Elſa ſuper ripas effuſus, longe, lateque vicinos campos inundare coepit. Inde ingenti ruens impetu, quicquid obuium erat, ſecum trahere. Ibi Dominicus ſæuientis amnis murmure excitus ſomno, caput effert tugurio: late ſtagnantes circa campos, aduentantéque fluuium conſpicit. Ergo veritus, ne ingruente eluuione, obrueretur vndis, extemplo cum ſocijs tugurij culmen aſcendit. ibi gliſcente periculo perſtabat, ſubinde Lauretanam Virginem inclamans. Nixa erat caſa ſtipitibus parum alte defixis, ſtructa ex cratibus, ſtipulaque. Hanc igitur cum tribus illis faſtigio inſidentibus humo auulſam rapidus amnis abripuit. Nec tamen eis imploratũ Mariæ auxilium defuit. Caſa illa vagantis licentia fluminis per duo circiter millia paſſuum circumlata, tandem ad ingentem accedit arborem. Illi perfugium diuina ope nacti, omiſſo tugurio, arborem ſtrenue ſcandunt. ibique manent, quoad remiſſa aquarum vi, fluuius iam lenior ſe in alueum recipiat. Ita Trad.Laur. Ann.Laur. Rier.

procul Galipoli, verſabatur. Quintum iam ſeruiebat annum, cum ſeruitij tædio libertatem ſpectare cœpit, & cum conſeruis duobus agitare conſilia fugæ. Itaque actuarium nauigium vacuum in portu ſine cuſtode nacti, ex compoſito conſcendunt, ſtrenueque propellunt ab littore. Sed eorum fuga haudquaquam Turcas fefellit. Qui confeſtim duobus expeditis, inſtructiſque piraticis lembis fugientes ſeruos inſectari ſumma ope cœperunt. Iamque haud procul aberat, quin Michael cum ſocijs caperetur à Barbaris, graui, vtique ſupplicio, cruciatuque multandus. Ergo vniuerſi eius hortatu, à Deo, Deiparaque Virgine Lauretana expoſcunt veniam, opemque. Mira dictu, viſuque res. Repente fœda coorta tempeſtas adeo mare, cœlumque turbauit, vt Barbarorum naues procul abegerit. Et immiſſam diuinitus in hoſtes procellam res ipſa ſatis oſtendit. quippe eodem ipſo tempore, eodemque tractu maris, Turcæ iactabantur vndis; Chriſtiani tranquillo æquore ſecunda aura ferebantur. Reſpectantes igitur, vt qnam procul abeſſent Barbari cernerent, ex vittatis capitum tegumentis, quibus Turcæ vtuntur pro pileis (vt ea modo extolli, modo deprimi videbant, ſenſerunt hoſtes inſanis iactari fluctibus: nec iam de aliorum fuga, ſed de ſua ſalute ſolicitos cum aduerſa tempeſtate luctari, adeo diuinitus iniectus terror Turcarum animos à cura perſequendi alios ad ſuimet tuendi curam auerterat. At Chriſtiani non vento magis, quam B. Maria obſecundante, incredibili celeritate Catarum tenuere. Inde voti, cœleſtiſque doni memores Lauretum delati, Chriſtianis myſterijs rite perceptis, Virgini grates agunt, eximium eius beneficium memorantes.

Laqueo

Laqueo ſuſpenſus morti eximitur. *Cap. XVIIII.*

Ann. Laur. Rier.

ALijs porro etiam extremo ſupplicio affectis ſalus red dita. Thomas Venetus Dux cohortis militum Sebenici in præſidio erat. Is milites præſidiarios aduentantis Turcicæ claſſis fama conterritos non potuerat in offitio continere. Illis igitur fuga dilapſis, deſertum præſidium cernens, protinus milite vno qui reliquus erat comite, Zaram contendit. Venetæ claſſis Duci fugam militum Sebenici periculum exponit ſuæ ſortis ignarus. Dux quippe tali nuncio concitatus ira, Thomam cum comite ſuſpendio extingui extemplo iubet, ſpatio tamen vtrique ad procurandos de more animos dato. Ibi Thomas ſacra confeſſione rite expiatus Lauretanam inuocat Virginem. votoque concepto, collum laqueo inſerit haud dubia ſpē cœleſtis auxilij. Igitur fune ad antēnæ cornu religato, antenna cum Thoma pendente ſuſtollitur. alligatum erat pedibus ingens ferri pondus: & carnifex pendentis corpus, antenna ſublata, ſubitoque demiſſa impenſe quaſſauerat ter, quaterue. Itaq. omnium opinione mortuus, poſt quartam horam patibulo eximitur tradendus ſepulturæ. Excedit fidem, quod deinde traditur, non tamen Dei, ac Deiparæ poteſtatem. Qui extinctus credebatur, inuentus eſt viuus valenſque, cum miles ſupplicij ſocius, parique conditione vſus efflaſſet animam. Thomas ergo cæteris admiratione defixis, è veſtigio Lauretum iter intendit, Deo ac B. Virgini, quorũ immortali beneficio viuebat, grates acturus. Et res apud Lanretanos ſacerdotes ſatis teſtata manſit. Alia eiuſmodi complura ſciens prætereo, quod minus teſtata videantur, quam vt memoriæ prodenda ſint ab eo, qui nihil ex vano hauſtum velit.

Duo ab vltimo ſupplicio liberantur. *Cap. XX.*

ILlud autem ſatis notum exploratumque, quamuis ab Apoſtolorum temporibus pene inauditum, vt Apoſtoli Petri è carcere diuinitus liberati, vetus exemplum inſtauratum quodammodo noſtra tempeſtate videatur. Anno poſt Chriſtum natum circiter M. D. LXX. vir quidā genere, ac factis clarus (nomen authores non edunt;credo quod ipſe cælatum voluerit)ab vno ex primoribus Italiæ Principibus in cuſtodia vinctus habebatur. Et falſis oneratus criminibus, iudice vtebatur iniquo infenſoque. Ergo cum haud dubiè inſtare ſibi vltimum ſupplicium cerneret; Lauretanam implorat Virginem,orans vt priuſquā è vita diſcedat, faciat ſibi Lauretanæ cellæ viſendæ poteſtatem. Et piæ inſontis preces Deiparæ cordi fuere. Sub noctem anxietate animi grauatum corpus arctior complexus eſt ſomnus. Dormienti præclara Lauretanæ Virginis oblata ſpecies, quæ mœrentis pectus ingenti gaudio permulſit. Repente diſruptis vinculis, foribuſque carceris diuinitus patefactis(obuerſabatur autem ſomniantis animo, quod extra ſomnium gerebatur) rei nouitate attonitum exire compellit. egreſſum ad proximum vrbis vicum deducit adhuc dormiētem: protinuſque eius ſubducitur oculis. Tum vero ille expergefactus, vinculis & carceri ereptum ſe cernens,haud vanam ſibi in quiete obiectam imaginem ſenſit. Gratijs ergo Virgini enixe actis, lætitia ex mœrore geſtiens domum ſuam recipit ſe. Cæterum haud ignarus fore, vt à ſatellitio Principis conquireretur ſumma ope, & grauius in ſemet tanquam fugitiuum conſuleretur; implorata denuo Virgine Lauratana, facinus edidit memorabile. Summo mane, diuina fiducia armatus infenſum Principem vltro adit: obſtupeſcenti ad eius aſpectum,

Ann. Laur. Riciæ.

eidem illi Rieræ rem omnem, ſicut à me eſt expoſita, enarrauit.

Multiplex Lauretanæ Virginis auxilium in nauali de Turcis parta victoria. *Cap. XXI.*

Iſdem temporibus in vltimo ferme rerum diſcrimine, Lauretanæ Virginis vis, vel maxime enituit. Selimus Turcarum Imperator Cypro per vim potitus, cæteræ Venetorum ditioni, orbique Chriſtiano imminebat. Pius ergo V. Pontifex communi periculo communibus viribus occurrendum ratus, Venetis & Hiſpaniarum Rege in armorum ſocietatem aſſumptis, ingenti mole bellum apparare cœpit. M. Antonius Columna Dux illa tempeſtate inter Romanos genere famaque clariſſimus, Pontificiæ claſſi præpoſitus eſt, & mature ſoluere in Turcam iuſſus. Ibi eius coniux Felix Vrſina pari nobilitate mulier, ſtimulante metu orbitatis ſuæ, liberùmque, ſtatuit in tot maritimi belli caſibus ad Lauretanam confugere Virginem. Propere igitur cum honeſtiſſimo comitatu Lauretũ accurrit, haud dubia, per Deiparam facile propitiari poſſe cœleſte numen ſibi, viroque. Solemnibus expiata myſterijs in ſacroſancta cella ſupplex pernoctauit, veniam opemque ſibi viroque ſuo à Deo, Deique matre impenſius expoſcẽs. Inde B. Virgine accenſis ſtudijs, votiuiſque muneribus culta, in eius gratiam Hebræum adoleſcentulum inibi è ſacro fonte ſuſcipit, & aureo donatum torque in ſuam adſciſcit familiam. Nec irrita ſupplicatio, aut gratia fuit. Haud longo tempore intermiſſo, cumulati voti compos exſtitit. Coniugem ſuum ex tam atroci prælio non reducem ſolum, ſed victorem etiam recepit: eundemque in vrbe Roma, veteri Romanorum more renouato, inſigni pompa ouantem læta conſpexit. Cæterum eodem bello haud certiorem

illa in priuata re, quam Pius Pont. in publica Lauretanæ Virginis expertus eſt opem. Chriſtianam claſſem vltimæ dimicationi inſtructam, intentamque eſſe iuſſerat. Nec ignarus erat, ſummam rerum in eo prælio verti. Proinde Pontifex vere pius, priuatis publiciſque ſupplicationibus Deum conciliare inſtitit. Præcipue in auguſtiſſima cella Lauretana orari aſſidue Deiparam iuſſit, vt in vltimo rerum diſcrimine pia mater adeſſet Chriſtianis. Nec Pij Pontificis, piorumque ſpes in irritum cecidit: Inita pugna nauali, non tam humanæ, quam diuinæ opis res viſa. Obſecundante Chriſtianis, qui ante pugnam aduerſus erat vento, fumumque bombardarum, ac tela hoſtium in ipſorum ora retorquente, nobiliſſima eſt de Barbaris parta victoria. Plerique hoſtium cæſi: naues partim depreſſæ, partim captæ: Ingens præda, magna vis captiuorum: ſupra X. Chriſtianorum millia ſeruitio exempta. Quorum quidem pars longe maxima deinceps Lauretum perſoluendorum votorum gratia venerunt. Satis conſtat ipſo naualis prælij die, antequam ſigna canerent, Chriſtiana mancipia remigio à Turcis addicta, pro libertate, plæroſque autem Duces, ac milites Chriſtianæ claſſis pro ſalute ac victoria B. Mariæ Lauretanæ vota feciſſe. Vt dubium cuiquam eſſe non poſſit, quin tam inſignis victoria poſt Deum, Deiparæ debeatur. Ergo non remiges modo captiui Turcarum, ſed etiam milites, Duceſque Chriſtiani ad agendas Deo ac B. Mariæ gratias, votaque reddenda Lauretum contulere ſe. Et diuini beneficij monumenta ibi exſtare vtrique voluerunt: alteri quippe catenas, quibus religati ad remos fuerant, apud liberatricem reliquerunt ſuam: alteri Deiparæ velut authori victoriæ, manubias hoſtium conſecrarunt. Hoc autem vltimum, atque haud ſcio an maximum Pij Quinti humanorum operum fuit.

Anna. Laur. Hier.

A Gregorio XIII. Indulgentijs, & vijs egregijs adornatur. Cap. XXII.

SEcutus Gregorius XIII. Pont. Max. ſuperiores Pontifices, vt Pontificatûs diuturnitâte, ita Lauretanæ Virginis religione, ac magnitudine animi vicit. Nihil enim habuit prius, quam vt maxime inclyto in terris templo, ſi quid deeſſet, munifice adijceret. Itaque Indulgentias ſuperiorum Pontificum non ſua tantum firmauit authoritate; ſed prudentia etiam amplificauit. omnibuſque promiſcue Lauretanam Aedem viſentibus cũctorum indulſit veniam delictorum. Pœnitentiariorum inſuper authoritatem auctiorem fecit, addita cœnobitarum quoque à delictis reſeruatis abſoluendorum facultate. Illud vero inſigne Gregorij donum. Indicta in annum M. D. LXXV. Iubilæi celebritate, Indulgentijſque toto orbe terrarum, vt fieri ſolet, in Vrbis gratiam ſuſpenſis, vnam excepit Aedem Lauretanam, quam nihilo ſecius, quam cæteris annis, illo quoque Romanæ celebritatis anno, ius ſuum obtinere voluit: ne Romana frequentia quicquam de Lauretana decerperet. Quin etiam Iubilæi anno circumacto, illam ipſam, quæ Romæ fuerat, Lauretano templo conceſſit Indulgentiam, quam etiam Romæ adepti denuo Laureti conſequerentur, ſi præſcripta feciſſent. Inde orſus magnificum opus, & tali Pontifice, ac Lauretana maieſtate dignum. Satis gnarus erat vias, quæ Lauretum ferebant, etiam in ipſa Pontificia ditione multis locis eſſe aſperas, anguſtaſque; vix vt equiti, peditique expeditus pateret aditus. Pulchrum fore B. Mariæ Lauretanæ ratus eſt, itinera adeo lata, ac munita eſſe, vt etiam quadrigis facile ac tuto adiri poſſet. Itaque præcipuas vias regio ſumptu, prope ad veterem illam Romanorum magnificentiam, etiam per ſaxa ac rupes aperuit muniuitque. Nem-

Ann. Laur. Riera.

pe, vel in ipſis Apennini iugis via tanta eſt amplitudine, vt quadrigę inter ſe occurrentes ſine periculo commeent. Ita Pontifex perfecit (quod niſi factum videremus fieri poſſe nemo crederet) vt eſſedis, quadrigiſque expeditus per Apenninos montes, ac iuga tranſitus pateret ex Vrbe, non ſolum in Picenum, ſed etiam in Aemiliam, in Galliam Ciſalpinam, in Poloniam, ipſamque Germaniam. Ergo ex remotiſſimis quoque orbis Chriſtiani partibus plurimi rhædis, eſſediſque vehuntur Lauretum, inuitante itineris commoditate, quos difficultas antea deterrebat. Inter hæc Saxatellus vijs præcipuis circa Lauretū laterculo, aut glarea ſtratis egregie ornatos addidit fontes, haud parua vel Lauretanæ peregrinationis decora, vel ſolatia peregrinorum.

Celebritas Lauretana ſub annum Iubilei. *Cap.* XXIII.

Anna. Laur. Rier. INterim dum viæ ſternuntur, anno M D LXXVI. qui Iubilei celebritate inſignis extra Vrbem fuit, tanta vis hominum confluxit Lauretum, quantam nemo meminerat. Pompa vtique adeo inſignis, vt etiam poſteris memorabilis ſit futura. Quotidie ſeptenæ, octonæue, nōnunquam etiam denæ ciuitates, ſeu pagi, vicique diſtincti agminibus Lauretum veniebāt, argenteas coronas, ingentes cereos aureis, argenteiſue nummis obſitos, ſacras veſtes, calices, aliaque dona B. Mariæ ferentes. Et ordo, ornatuſque venientium religionem ſpirabat. Sacræ quippe ſodalitates agminibus, inſignibuſque diſcretæ, non ſolum prælatis crucibus auro, argentoque fulgentibus, ſed vexillis etiam conſpicuis, & Angelorum, Diuorumque perſonis ſuum quæque agmen ornauerant. In ſingulis porro agminibus, alij nudis incedebant pedibus, alij flagris nuda, & cruenta ſibi terga cædebant: alij Deo, ac B. Ma-

riæ non ſine ſymphonia, ſolemnia canebant carmina. Cæterum inter omnes eminebant ſodalitates Picentium, quę ſacras quà priſcorum, quà recentium monumentorum hiſtorias interpoſitis perſonis referebāt: ſummaq. actorū venuſtate in Lauretani tēpli atrio gratiſſima, vel cœleſtibus vel mortalibus præbebant ſpectacula. Oppidum eſt Piceni haud ſane obſcurum, cui S. Geneſius ex hiſtrione Martyr nomen dedit. Oppidani veterem Patroni ſui laudem pie, ſanctęque æmulantes, inter omnes populos, piorum ſpectaculorum, ſacræque pompæ facile primas tenent. Horum circiter mille præter mulieres, inconditamque turbam, Lauretum petentes obuijs miraculo fuerunt. Pompa erat talis. Præibant eorum complures pœnitentium habitu, cruciatuum, ac necis Chriſti Domini inſignia præferentes, qui cilicinis induti ſaccis: capitibus aſperſis cinere, nudis pedibus, tergis aſſiduo verbere laceratis, longo ordine procedebant. Hos tria deinceps ſequebantur ornatiſſima ſodalitia varijs diſtincta veſtium, ac notarum inſignibus: & quodque agmen cruces, ac vexilla adornabant argento, auroque fulgentia. Aeque autem omnia agmina accenſis ſodalium facibus collucebant: & longe, lateque percrepabant egregijs ſymphoniacorū choris. Proximæ ibant tres velut cohortes: prima vetera ſacræ hiſtoriæ argumēta, ac myſteria referebat. Altera Euangelij, Eccleſiaſticorumque annalium illuſtria documenta virtutum: Tertia martyrum, ac militantis Eccleſiæ decora, nobileſque de Tyrannis victorias. Et perſonarum, rerumque geſtarum ſimulacra ita ad viuum exprimebantur, vt res non referri, ſed fieri, gerique viderenrur. Omnino non temporis cauſa ficta ſpectacula, ſed vera, & ſuis temporibus præbita crederes. Extremum agmen claudebat currus triumphantis Eccleſiæ, inſignibus, cuiuſque generis ornamentis, ac mira rerum, perſonarumque varietate conſpicuus. Chriſtus rediuiuus triumphali curru ſublimis eminebat, qui ſuper orbem terrarum ſedens, &

vndi-

vndique ſplendore collucens, ſublata dextra obuijs populis benedicere videbatur. Circa eum ſymphoniaci pueri Angelorum faciem gerentes ſuauiſſimo concentu cuncta complebant. Currum porro vis ingens Martyrum, Diuorumque cuiuſque ordinis, ac generis, virorum feminarum, Virginum coronata, cum victoriarum inſignibus ſequebantur, ſpectatorum turbam ad paria decora exemplis ſuis inuitantes. Sane tota actio non magis ſpectaculum fuit, quam inuitamentum pietatis.

Ioannis Auſtriaci eximia pietas in Lauretana Æde viſenda.
Cap. XXIIII.

Ann. Laur. Rier.

NEC illa tempeſtate Aedes Lauretana populorum ſpectaculis, quam procerum præſentia celebrior exſtitit. Ioannes Auſtriacus vir Carolo Quinto Imperatore patre digniſſimus, nec paterna gloria, quam ſua virtute clarior, eodem ipſo anno Lauretum voti cauſa aliquando perrexit. Is quinquennio ante aduerſus Turcas nauali prælio dimicaturus Lauretanæ Virgini vouerat, ſi ſuperſtes ipſe partę de Barbaris victoriæ foret, Lauretum vtique ad eam iturum. Cæterum voti compotem publica negotia alia ex alijs morata erant, quominus ante id tempus poſſet fidem exſoluere. Itaque cum Neapolim victrici claſſe tenuiſſet, non horror ſæuientis hyemis, non publicæ, priuatæque negotiorum curæ, non procerum, populorumque preces flectere eum potuerunt, vt ne ſumma hyeme, itineribus glacie, ac niue obſitis, fluminibus paſſim turgentibus, Lauretum ad Beatam Virginem iter intenderet. Et horrida tempeſtas inſigniorem pietatem optimi Principis fecit. Recinetenſem portum equo prætergreſſus, vt procul Aedem Lauretanam conſpexit; venerabundus caput aperuit, ac

Ioan. Auſtr. pietas & D.

Deiparam Virginem ſalutauit. Inde velut alienato à ſui cura ad cœleſtis Reginę venerationem animo, nunquam neque imbris, neque cœli inclementia perpelli potuit, vt ſemel apertum operiret caput: adeo ſe caputque ſuum B. Virgini deuouerat, cuius præſidio ſe incolumem credebat eſſe. Poſtquam ad ſacram Aedem peruenit, totius ante actæ vitæ noxis confeſſione expiatis, grates B. Mariæ ingentes agit: protinus vota perſoluta ſatis magnæ pecuniæ cumulat dono. Comites inſuper, & voce, & extemplo ad parem pietatis laudem accendit. Voti pietatiſque munere perfunctus Neapolim reg[...]ditur, ingens Lauretanæ Virginis deſiderium ſecum ferens.

Singularis pietas, ac munificentia Ioannæ Auſtriacæ Magnæ Ducis Hetruriæ. Cap. XXV.

NEC per id tempus Principibus viris feminæ nobiliſſimæ pietate erga B. Virginem ceſſere. Quadriennio ante (opus enim fuit rerum, perſonarumque ordinem ſequenti, negligere nõnihil ordinem temporum) inter initia Pontificatus Gregorij XIII. Ioanna Auſtriaca Ferdinandi Cæſaris filia, eademque Franciſci Magni Hetrurię Ducis vxor Lauretum petijt, diuturnam Virginis viſendæ ſitim explere cupiens. Ergo Pontificis iuſſu, tota Pontificia ditione, regio cultu excepta à Paulo Odeſcalco Atriẽſi, & Pennenſi Epiſcopo, qui ad id ipſum ab Vrbe deſtinatus fuerat à Põtifice Max. ad optatiſſimam Virginis Aedẽ deducitur. Cęterum pia mulier ſub Recineti mœnibus, Lauretana Aede procul conſpecta, confeſtim vehiculo deſilit, ac ſubmiſſis genibus Deiparam enixe ſalutat. Inde reliquum iter conficit pedibus, vniuerſo comitatu Dominæ exemplum ſequente. Lauretum intrauit in veſte candida, *Ann. t. Laur. Riera.*

tenui-

tenuique, ex qua candor mentis eius eximius pelluceret. Inde etiam modeſtia eiuſdem exſtitit ſingularis. Nanque à duobus Epiſcopis in ſacroſanctam Virginis introducta Domum, contemptis puluinaribus, ac tapetis, ſuper nudo pauimento procumbit in genua: cæli Regem, reginamque illius domus olim habitatores, nunc præſides impenſe colit: manantibuſque lacrymis veniam ſibi, ac viro ſuo: ad hæc concors coniugium, virilemque inſuper ſtirpem precibus expoſcit. Solemnibus exinde expiata myſterijs, inſequentem noctem totam ſupplex ante Beatam Virginem, impenſius iteratis abſumpſit precibus. Idem duobus conſecutis diebus, totidemque noctibus factitauit: tantum illi virium incenſa pietas ſuggerebat. Diſcedens porro duo corda aurea aureis catellis ante B. Mariæ ora

Codic. Laur. Magnæ Ducis Hetrur. D. egregia

ſuſpendit: ſiue vt monumento forent, illam ſibi, viroque ſuo eſſe cordi, ſiue vt Virgo author concordiæ talem coniugis ſui animum præſtaret ſibi, qualem ſuum erga illum ſciret eſſe. Neque his contenta donis, ita diſceſſit, vt fixum haberet, Lauretanam Virginem aliquo dono colere quotannis. Idq. quam diu vita ſuppeditauit, impenſius etiã fecit, quam ſtatuit. Argentea Chriſti crucifixi effigies præclara, cum ingenti cruce ex ebeno, candelabra quatuor ſeſquicubitalia ex argento perbene facta, ſolemnes Epiſcopi ſacerdotis, miniſtrorũ, aræque veſtes ex auro argentoque bifariam criſpante contextæ, & Phrygio inſuper opere inſignes: amictus quoque aureus Beatæ Virginis mirabili arte conſpicuus, alia porro aræ toralia, & ſacrorum calicum vela opere Phrygio, gemmis, auro, argentoque diſtincta, Ioannæ Auſtriacæ ſunt munera. Nec in irritum piæ mulieris preces, donaque cecidere. A peregrinatione Lauretana, ex coniuge ſtirps ei virilis fuit, maternæ pietatis effigies in ſpem paternæ, ac pene regiæ ditionis genita, quæ matri aliquandiu ſuperſtes popularium ſuorum animos ad ſpem haud dubiæ felicitatis erexerat. Cæterum ſubinde mater

exſtin-

exſtincta, & arcano Dei conſilio matrem impubis filius ſecutus Hetruriam impleuit mœrore, luctuque. At Ioanna Auſtriaca non ſolum facto rem Lauretanam ornauit, ſed etiam exemplo. Haud ita multo poſt Margarita Auſtriaca (vt in eadem familia non magis virtutis ex viris, quam ex mulieribus pietatis exempla peterētur) Caroli V. Imp. filia, eademque Octauij Farneſij Parmenſis Ducis vxor, Lauretanam Virginem adijt cum egregia nobiliſſimorum Procerum manu. Ibi Confeſſionis Euchariſtiæque myſterijs rite perceptis, totum triduum diuinis in templo officijs ſemper interfuit. in auguſtiſſimo ſacello haud diutius, quam enixius Deo ac Dei matri ſupplicauit. Ingentique auri vi in arcam coniecta, B. Virginem ſe dignis muneribus coluit. Margarita Auſtriaca D.

Ducis Lotharingi vxor paralytica Lauretum delata ſanatur. Cap. XXVI.

NEc Auſtriacarum mulierum, Italiæque ea propria laus fuit. Chriſterna, ſeu Chriſtina Sueuorum rege, & Caroli Quinti Auguſti ſorore genita, eademque Dux Lotharingiæ, femina exſtitit virili virtute, eximiaque pietate. hæc magno iam natu, quamuis ætate, ac paralyſi impedita, voti cauſa Lauretum venire conſtituit. Nec vnquam paſſa eſt, id ſibi votum, ſuorum rogatu à Pontifice cum alijs pietatis officijs cōmutari, adeo ardens erat Lauretanæ Virginis viſendæ cupido. Lectica igitur cum regio pene comitatu in Italiā, Picenūque delata pergit ire quo deſtinarat, ſatis fidens ab ſe valetudinem B. Mariæ ope recuperari poſſe. Ergo in ſanctiſſimæ Domus aditu, non cœleſtem modo lætitiam hauſit animo, ſed priſtinam quoque recepit corporis ſanitatem. Illa membrorum, quibus capta erat, vſum ac vires extemplo ſibi redditas ſentiens, primum præter morem, ſine vllo adminiculo inſtitit pedi- Am. Lenr. Rier. Vit. Brigd.

Dd bus,

bus, periculum virium factura. Inde cum res ſatis procederet, egreſſa, per ſe nullo adiutore; ſacroſanctam Virginis cellam ſuis pedibus circumijt gratulabunda, eius familiaribus miraculo attonitis, Deique ac Deiparæ donum certatim extollentibus. At Chriſtina, quam eares propius attingebat, obortis gaudio lacrymis, in auguſtiſſimum ſacellum regreſſa, ante coeli reginam prouolui: nullum diuini beneficij efferendi modum, nullum agendarum gratiarum finem facere: ſe ſuaque Deo, ac Dei matri dedere. Exinde, vt tanti beneficij monumentum exſtaret, ingens cor ex auro ſolido coronatum, quod hunc ad vſum domo attulerat, ante B. Virginem catella aurea ſuſpendit. Regia deinceps dona promit, torquem ex auro egregium, coronam ex vnionibus, bacciſque, monile ex gemmis clariſsimis: aræ inſuper ac ſacerdotis miniſtrorumque ſolemni cæremonia ſacrificantium veſtes argenteas opere Damaſceno ſane mirabili. demum regalia munera ingenti pecunia cumulat. Nec inde ipſa indonata abijt. Gregorius XIII. Pont. Iubileum illi ampliſſimum ab Vrbe miſerat, quod ipſa cum vniuerſo comitatu (in quo erant homines facile quingenti) rite percepit. Cæterum lætum donis cœleſtibus pectus triſtis de morte Sebaſtiani Luſitaniæ regis (erat is ſororis filius) nuncius nonnihil turbauit. Verum in tanto, tamque improuiſo vulnere, egregia generoſæ piæque feminæ enituit virtus. A luctu propinqui Regis ad opem eius animæ ferendam verſa, funus illi quanta maxima potuit pompa celebrauit. Sed ita, vt in Aede Lauretana quam plurima pro eo ſacra facienda curaret. Ad vltimum Chriſtiana pietate ardens, Noſocomium Lauretanum bis inuiſit, binos ſingulis ægris aureos nummos impertiens, haud minore liberalitatis laude, quam humanitatis.

Duc. Lotharingæ D.

Duo præcipiti ruina ex equo periclitantes à morte reuocantur. Cap. XXVII.

MInus illuſtre ſi perſonas conferas, ſin res ipſas, magis admirabile exſtitit, quod paucis ante annis acciderat. D. Suſanna Iacobi Thainonii Cortauellenſis equitis nobilis coniux fuit. hæc ab equo cui inſidebat excuſſa, afflictaque ad terram, ad vltimum periculum venerat. Namque oſſibus, quà fractis quà luxatis, omnes amiſerat ſenſus. Ad hæc membra vitalis pene deſtituerat calor. Itaque deſperata à peritiſſimis medicis corporis ſalute, Sacerdos ſalutem curabat animi, moribundam de more Deo Diuiſque commendans, & luſtrali ſubinde reſpergens aqua. Interim Iacobus cariſſimæ vxoris vicem ſolicitus, templum proximum intrat. Ibi poſitis genibus, oculos pariter manuſque tollit in cœlum: lacrymanſque enixe Lauretanam inuocat Virginem: votum precibus miſcet, ſe ad Lauretanam Aedem iturum, ſi ſua ope ſeruet eam, quã nulla vis humana ſeruare poſſit. Nec irritum fuit votum. Vix dum plane id vouerat, cum mulier habere melius cœpit, ac breui conſanatis diuinitus oſſibus membriſque conualuit. Eques igitur voti memor anno M. D. LXXV. (qui anno Iubilæo celebris & inſignis fuit) Lauretum cum vxore contendit. Laminamque argenteam cum Lauretanæ Virginis effigie, quam hinc viri, hinc mulieris imago ſupplex orat, votiuum donum Deiparæ tulit. Additus laminæ titulus, qui totam rem breuiter exponit, miraculi ad poſteros monumentum. Huic aliud conſimile eodem fere tempore. Nicolaus Pauonius ciuis Catacenſis nobilis erat. Is cum eques exerceretur inter æquales, corruente ab rapido curſu equo, effuſus in terram confracto corpore, brachio etiam comminuto iacuerat exanimis. Exſpiranti ſimilem famuli excipiunt, domumque referunt haud ſa-

Ann. Laur. Rier.

D. Suſanna Thainonia à morte reuocatur.

Nicolaus Pauonius ab interitu liberatus.

tis compotem mentis. Adhibentur confeſtim medici, qui mali magnitudine victi, actum de illo eſſe pronunciant. Pauonius ergo amicorum ſuaſu, B. Mariam Lauretanam implorat, vouens ſalute recuperata, ad eam ſalutandam eſſe venturum. Votum iucundiſsimus ſomnus excepit. In ſomnis Lauretanæ Virginis obuerſata ſpecies, quæ affectos iacentis artus manu contrectās repente ſanaret. Haud vanum fuiſſe ſomnium oſtendit euentus. Nicolaus è ſomno euigilans, membra perſanata comperit. Extemplo igitur exilit lætus è lectulo, Lauretum accurrit, votum exſoluit.

Quidam ex inimicorum manibus ereptus, quamuis duodecim mortiferis plagis acceptis, diuinitus ſanatur. Cap. XXVIII.

Anna. Laur. Rier.

SEquitur aliud in alio genere, admiratione præcipuū. Ioannes Philippus Ambroſius Neapolitanus tenui re, ſed magna religione erga B. Virginem fuit. Is anno huius ſeculi LXXVIIII. inermis inciderat in armatos inimicos; à quibus quam tumultuoſiſsime circumuentus cædebatur ad necem. Iam vulneribus confoſſus haud procul exitio aberat: nec quiſquam opem miſero ferebat; & illi animis, armiſque infeſti non prius cædendi finem facturi erant, quam penitus exſtinctum cernerent. Ambroſius ergo media iam in morte, Lauretanam Virginem venerabundus inclamat. Nec fruſtra miſſæ preces. Extemplo è ſæuientium manibus diuina vi ereptus præſentem interitum euadit. Ipſemet (quod poſtea narrauit) ſublimem inde ſe diuinitus auferri ſenſit ad teli iactum: vbi exceptus à notis, exſanguis ac ſemianimis defertur domum. Nec tamen vitæ diſcrimen euaſiſſet, niſi nouam in eodem periculo Beatæ Mariæ ſenſiſſet opem. Duodecim numero acceperat plagas, pleraſque mortiferas, quibus inſpectis medici de eius ſalute penitus deſperarant. At ille cœle-

B. Mariæ in media morte præſidiū.

ſtis

ſtis opis modo expertæ memor, tantum miraculum haud fruſtra eſſe credidit. Itaque vnde auxilium aduerſus tela inimicorum adfuerat, indidem medicinā vulneribus ſperare cœpit. Ecce nouum miraculum: B. Virgo impenſius ab illo implorata, cœleſtem plagis facit repente medicinam. Ergo ille omnium opinione mortuus, repente ſanus vegetuſque ſurgit è lecto. Lauretumque profectus, vota perſoluit, illuſtre Lauretani auxilij documētum: bis quippe vno tempore à media morte reuocatus. Proinde à notis, ignotiſque non iam Io. Philippus appellabatur, ſed Lazarus rediuiuus.

Mater, & filia à morte, alij ab alijs morbis liberantur. Cap. XXIX.

HAud maior in vulneribus, quam in morbis ſanandis, per ea tempora Virginis Lauretanæ vis exſtitit. Melido quidam fuit è Vaſto vrbe Samnitium, cuius vxor, & filia graui, diuturnaque febri pariter afflictatæ iacebant morti proximæ. Iamque ſacris candelis ad capita earum de more accenſis, ſimul ambæ agebant animam, cum Melido, qui vtramque vnice diligebat, vltima experiri ſtatuit. Igitur dolore ardens procumbit in genua: & manantibus vbertim lacrymis, Lauretanæ Virginis opem implorat: ſupplicationi votum addit, plurimum in Deiparæ benignitate ſpei reponens. Et ſpes nequaquam eum fefellit: mira res. repente coniux, & filia periculo exemptæ, pauciſque diebus perſanatæ. Inde à Melidone Lauretum adductæ, vota pro ipſarum ſalute ſuſcepta Deiparæ Virgini reddiderunt, anno M. D. LVIII. Inſecuto anno Ioannes Petrus Florentinus ex Anna Baſſa Vercellenſi coniuge ſua filiolam genuerat, vtroque lumine penitus captam. Qua baptiſmo rite luſtrata, Anna mater Lauretanam Virginem enixe inuocans vouet, ſi puellæ vnius ſaltem oculi vſus

Am. Laur. Ricra.

li vſus redderetur, eam abſc Lauretum primo quoque tem pore delatum iri. Id votum B. Mariæ cordi fuiſſe ſtatim apparuit. Extemplo nulla humana ope infans cæca altero videre oculo cœpit. Mater ergo voti haud parum memor, impigre Lauretum petit, luſcam geſtans filiam ſinu materiem noui miraculi, nõ ſolum veteris teſtem futuram. Quo propius Lauretanam accedebat Domum, hoc melius puella cernebat. Itaque poſtquam gratulabunda ſacroſan ctam Virginis intrauit cellam (is dies fuit III. Non. Maij anno huius ſeculi LXXX.) dextro oculo plane videbat: iamque etiam ſiniſtro videre cœperat. adeo Deus Dei que parens vota exſuperant piorum. Sequitur aliud in diſpari genere non diſpar fortaſſe miraculum. Angelo Bernardinio ex Aemilia, paruus erat filius, cui inter edendũ, os (ex carne opinor, id enim non traditur) tranſuerſum hæſit in gutture, adeo quidem pertinaciter, vt nulla humana ope excuti poſſet: & tumorem gutturis conſecuta febricula puerum acrius vrgebat. Iam puer exigua in ſpe trahebat animam, cum pater cariſſimum filium moribundum intuens, obortis lacrymis Lauretanam Virginẽ ſupplicitep implorat. Nec mora. puer extuſſito oſſe, diuinitus imminenti periculo eripitur. E veſtigio à patre Lauretum aductus B. Mariæ ſiſtitur. Ibi dum votum exſoluit (vt cumulatum foret beneficium) febricula etiam, quæ ex morbo erat reliqua, liberatur. Excipit aliud vſitatius, ſed tamen non omittendum. Petrus Maria Florentinus diutinis podagræ doloribus confectus, adeo iam captus erat pe dibus, vt ſine adminiculis (cruces appellant) reptare non poſſet. Tandem igitur damnata medentium ope, Lauretanam Virginem enixe inuocat. Nec fruſtra preces fuerunt. Protinus depulſo diuinitus morbo, vſum recuperat pedũ, & Lauretum profectus gratias agit Virgini. Inde cruces ipſas, quibus æger ſubniti aſſueuerat, apud ſacroſanctum ſacellum ſuſpendit miraculi argumenta.

Cæcę infanti lumẽ redditur oculorum.

Puero tranſuerſum, & exſcutitur ex gutture.

Podagrinus liberatur.

Tres Ciuitates peſtilentia liberantur. Cap. XXX.

IIſdem temporibus Lauretana Virgo non magis ciuibus ſingulis, quam vniuerſis ciuitatibus præſens in malis auxilium tulit. Anno huius ſeculi LXXVII. atrox morbi vis contagione vulgata, totam pene Siciliam peruaſerat. Iamque nobiliſſimæ vrbes continuatis prope funeribus exhauſtæ; horrenda ſuperſtitibus præbebant ſpectacula. Ibi Panormitana ciuitas ingruente lue, cœleſtem iram placare inſtitit, ita voto, & imploratione Lauretanæ Virginis, periculum euaſit. Et votum cum fide exſoluit. Exſtat hodie lamina ingens argentea librarum fere nouem, vbi B. Mariæ Lauretanæ tecto inſidentis expreſſa effigies viſitur. Cui præclara imago Panhormitanæ vrbis ſubiecta talem præfert titulum, depulſæ luis indicium. *Ann. Laur. Rier.* *Panorm. peſtil. liberat.* *Panormitanorum D.*

FOELIX CIVITAS PANHORMI TRINACRIAE METR.
B. VIRGINI LAVRETANAE DICAT
EIVS PATROCINIIS A PESTE LIBERATA.
AN. SAL. M.D.LXXVII.

Biennio ferme interiecto, Anicia Galliæ vrbs non ignobilis, triduo diſtans à Lugduno, in grauiore etiam periculo par Lauretanę Virginis experta eſt præſidium. Diutina vrgente peſtilentia, colonis, ac ciuibus pene exhauſta haud procul exitio abeſſe videbatur. Itaque ciues, qui bus adhuc lues pepercerat, tam atroci, pertinacique malo conterriti, commodiſſimum rati ſunt, per Dei matrem placare iratum Deum. Communi ergo conſilio, ſolenne Lauretanæ Virgini votum nuncupant: ſtratique paſſim in templo veniam delictorum, finemque morbo precibus expoſcunt. Nec fruſtra. Nuncupationem voti ciuitatis ſanitas eſt conſecuta: mali infeſta vis profligata: priſtina ciuitati facies reddi cœpta. Extemplo Lauretum votiua *Anicia vrbs peſtil. liber.* *Annicenſiũ Dona.*

dona

dona publice per certos homines miſſa cum publico teſtimonio, quod monumentum foret, & voti ab Anicientibus facti, & morbi Virginis ope depulſi. Nec Lugdunenſis ciuitas Galliæ clara in primis, ac nobilis, aut communis cladis expers, aut Lauretani præſidij exſors fuit. Fœda namque lue claras iuxta, & obſcuras domos populante, inopes humani auxilij Magiſtratus ad Deum, Deiparamque populum, ac vota verterunt. Publice voto pro ciuitatis ſalute ſuſcepto, Lauretanæ Virginis imploratur auxilium. Extemplo auditæ preces. ægri ſanati, peſtilentia diſcuſſa. Ergo anno M.D.LXXXI. ab grata ciuitate votiuum donum B. Virgini mittitur, nec ciuium religione, nec amplitudine vrbis indignum: calix ex argento cælato inauratus, non minus opere, quam magnitudine inter cæteros eminens. Alia præterea dona haud exigui precii, magna, & Lauretani auxilij, & Lugdunenſis pietatis argumẽta. Inter hæc Roberto Saxatello Piſaurẽſi Epiſcopo creato, Iulius Amicus ſublectus, qui & ſi parũ lætis ob Lõgobardiæ peſtilentiam temporibus vſus, tamen Lauretanam Aedẽ nõ parũ ornauit. Per id tempus ſacra ſupellex, & inſtrumentũ Aedis ſatis auctum. Venuſini Principis coniux oculos aureos, & coronam argenteam miſit. Sfortia Pallauicinus triremem argenteam pondo librarum quinque. Cardinalis Sitticus Abaltaemps pro recuperata pueri propinqua cognatione iuncti ſalute, eius imaginem ex argento expreſſam decem pondo. Delia Sanſeuerina Comes Briatici lychnum argenteum penſilem ſane egregium pondo XXII. Cardinalis Eſtenſis cor aureum, Marchionis Vaſti coniux argenteam arculam librarum fere XVI. Vxor Principis Sulmonenſis pollubrum, & vrceum argenteum operis, ac ponderis non poenitendi. Cardinalis Riarius crucem auream ſpecie, ac precio nobilem. Mitto minora omnia, quæ referre operæpretium non ducimus.

Lugdun. peſtil. liberat.

Lugdunenſium Don.

Venuſinæ Princip. D.

Sfortiæ Pallauic. D.

Card. Abaltaemps. D.

Comit. Briatici D.

Card. Eſt. Don.

March. Vaſti D.

Princ. Sulmon. D.

Card. Riarij D.

FINIS LIBRI QVARTI.

HORA-

HORATII TVRSELLINI E SOCIETATE IESV

LAVRETANAE HISTORIAE LIBER QVINTVS.

Card. Vrbinatis, & aliorum Principum Dona. *Cap. I.*

SVBINDE Lauretanæ Domus opulentiam Patroni mors ac pietas cumulauit. Cardinalis Vrbinas ne minus liberalis moriens in Lauretanam Virginem eſſet, quam viuus fuerat, teſtamento ſacram ſacelli ſui ſupellectilem luculentam in primis, & copioſam B. Mariç magna legauit ex parte. Miſſa igitur ab hæredibus crux argentea præclara cum binis candelabris egregio opere factis. Pontificales amictus duo ex veſte Attalica: totidem altarium, ac ſacerdotum ſacris operantium veſtes ex aureo textili: toralia inſuper, & ſacrorum calicum velamina, Phrygio opere, auro argentoque diſtincta. Ad hæc ſacra ara mobilis (petram ſacratam vocant) è gemmis compacta: calices aliquot aurei, bini vrceoli argentei cum ſuo pollubro pulcherrime cælati, aliaque generis eiuſdē, haud obſcura Roboreæ munificentiæ argumenta. Porro Vrbinati Cardinali in tutela Lauretana, ſucceſſit Cardinalis Moronus. hic Vincentium Caſalem Lauretanæ rei adminiſtrationi præpoſuit, ſpectata pietate ac fide virum. Quo Præſide Lauretanum inſtrumentum, ac ſupellex haud par-

Cod. Laur. Vict. Brig.

Card. Vrbl. D.

Card. Moronus Laur. Patron.

March.S. Crucis D. ua incrementa cepit. Lychnus egregius cum ſubiecta patina ex argento librarum xv. vaſculum item odoramentarium argenteum Marchioniſſæ S. Crucis munera fuerunt. Archid. Auſtriæ D. Caroli Archiducis Auſtriæ numiſma aureum ſuo nomine inſcriptum. Bauar. Duc. filiæ D. Maximilianæ Bauari Ducis filiæ corona delicijs magis quam precibus aſſueta è ſuccino precioſo, auro gemmiſque diſcreta: crux aurea gemmis cælatiſque operibus inſignis, & aliæ præterea gemmæ. March. Aquauiuæ D. Alberti Marchionis Aquauiuæ effigies argentea in ſupplicantis formata morem, decem pondo. Alberti Bauariæ Albert. Bauar. Ducis Donum egregium. Ducis crux ingens ſmaragdina, auro pyropiſque exornata, & cryſtallino quaſi monti impoſita. Duodecim aureorum millibus æſtimatam ferunt. Et munus per ſe inſigne mittentis diſſimulatio inſignius fecit. Satis conſtat, hoc regale donum vulgaribus inuolutum linteis per obſcurum hominem eſſe latum, ſuppreſſo donantis nomine. Itaque diu author tam eximij muneris homines latuit. Cæterum Dei vtique nutu, cui non magis eximium donum, quam donantis egregia moderatio cordi fuerat, tandem doni author proditus, haud minore cum laude regiæ munificentiæ, quam Chriſtianæ modeſtiæ. Amadei Dyna-Amadei Sabau. D. ſtæ (is Emanuele Philiberto Duce eſt genitus) imago ſua in argentea lamina expreſſa, & auro ac gemmis incluſa, donum eſt. Virginiæ Sabel. D. Virginiæ porro Sabellæ Vitelliæ effigies votiua ex aurea lamina, ebeno incluſa, holoſerico villoſo ſubſtrato. Conſtantiæ Carrettæ Donum. Conſtantiæ Carrettæ corona aurea gemmis, vnionibuſque conſpicua. Cardinalis Madrucij au-Card. Madruc. D. rea fibula ingens (quali Cardinales Epiſcopi vti in Pontificali amiculo ſolent) tribus margaritarum aceruis, in-Card. Auſtriaci D. ſtar nodorum, nobilis. Cardinalis Auſtriaci crux aurea aureo inſidens monti, gemmiſque diſtincta clariſſimis. Hæc egregia nobilium virorum ac mulierum dona. Alia porro vulgaria, aut ignotorum, quæ percenſere noſtri inſtituti non eſt. Vnum tamen huius generis non tam precio, quam precatione donantis inſigne, non queo reti-

cere.

cere. Aureus annulus egregia ſmaragdo inſignis repertus in calice, donum hominis ignoti mortalibus, noti coeleſtibus, cum hiſce verbis in ſcheda inſcriptis.

VIRGO SINGVLARIS. MITES FAC ET CASTOS O AMOR QVI SEMPER ARDES, ET NVNQVAM EXTINGVERIS ACCENDE ME, SVSCIPE ME SERVVM TVVM B.

Lauretani templi cultus augetur. *Cap. II.*

CAſalis interim Præſes pro ſuo munere, Lauretanæ dignitatis ſtudio flagrans Canonicorum, clerique vniuerſi ſtudia accendere omni ope inſtitit. Ille alternis hortando rogandoque nunc ſingulos, nunc vniuerſos ad ſua munia incitauit. Ille non dictis magis, quam (quod efficaciſſimum ſuadendi genus eſt) factis & exemplis perpulit ad ſedulam Deo Deiparæque operam in auguſtiſſima illorum æde nauandam. Nam cum omnia Canonicorum officia ſiue canendis diuinis laudibus, ſiue confeſſionibus audiendis, Præſes ipſe obiret primus; Canonicos cæteroſque pudor haud ſegniter ſtimulabat. Ita quamuis multiplicato labore, haud inuiti ſequebantur Præſidem præeuntem. nemine detrectante munus, quod ille occupaſſet. Et Caſalis ſedula fidelique eorum opera vſus, egit tranſegitque cum Patrono, ipſoque Pontifice, vt auctis Lauretani Cleri laboribus, ſtipendia pariter augerentur. Cum ſtipendio cunctorum etiam ſedulitas creuit. Canonicis nouo munere ad amplificandum templi cultum incitatis, Pœnitentiarios linteis veſtibus ſuperindutos ſericis infulis (ſtolas vocamus) ornauit. Ex quo non plus ipſis, quam templo decoris acceſſit. Duodecim inde pueris ſacrorum miniſtris ab ſe inſtitutis rubræ veſtis inſigne dedit. Et quia vetus odeum aucto Sa- *Ann. Laur. Rier.*

Ee 2 cerdo-

Odeum a Biſin. Prin. ornatum. cerdotum, ſymphoniacorumque numero, erat anguſtius; nouum multo amplius, multoque commodius inſtituit ornauitque, ſumptu Biſinianenſis Principis. Id nunc Odeum vſurpatur, pulcherrime laqueatum, præclaris tabulis XII. Apoſt. ſimula. arg. pictis, exedriſque viſendum. Ad ſolemne inſuper aræ ornatum, duodecim Apoſtolorum ſimulacra ex argento ſeſquicubitalia egregio opere fecit. Fama eſt conflata omnia ex votiuis imaginibus argēteis iam vetuſtate exoletis; ſingula vero ſimulacra eſſe pondo circiter ſexaginta. Ex quò coniectari licet, quanta tandem fuerit talium imaginum copia, quę ſummam efficeret ſeptingentarum, ac viginti librarum: quanta ſit etiam hodie illiuſmodi donorum vis, ac multitudo. Illud verò preclarum, ac fru-*Vitt. Brig.* Hiſt. Laur. octo linguis mandata. giferum Caſalis inuentum, vt omnium nationum aduenis Lauretanæ hiſtoriæ cognoſcendæ copia foret, eius capita à Teremano Pręſide olim edita, in octo pręcipuas linguas Græcam, Arabicam, Hiſpanam, Gallicam, Germanam, Illyricam, Latinam, Italicam vertenda curauit. Eademque in totidem ingentibus tabulis deſcripta medio propoſuit templo, non minus decorum ratus B. Mariæ Lauretanæ Domum ab omnibus gentibus, quam hiſtoriam linguis omnibus celebrari.

Collegium Illyricum inſtituitur. Peregrini præſertim illuſtres laute tractantur.
Cap. III.

Vitt. Brig. AT Gregorius Pont. memor eius, quod initio Pontificatus imbiberat, Lauretanæ Domus, reique Chriſtianę amplificandæ, vt Romæ atque alibi diuerſarum nationum; ita Laureti Dalmatarum Collegium inſtituit, ingens afflictæ nationi, vel auxilium, vel ſolatium. Quippe tricenos ibi adoleſcentes litteris, boniſque moribus inſtrui iuſſit, haud maiori genti Illyricæ adiumento,

quam

quam Aedi Lauretanæ ornamento futuros. His ex arca Lauretana ſtipendium, certaſque ædes, vbi ante erat Noſocomium aſſignauit, nouo Noſocomio alibi excitato. Illyrici alumni feſtis diebus in templo linteati ſacris ſolemnibus adeſſe, ac miniſtrare iuſſi: ijdem Patribus Societatis Ieſu in diſciplinam traditi. Porro in ſacri cultus curam intentus Pontifex, Muſicum organum alterum condidit, ſane multiplex, ac varium, & auro picturiſque conſpicuum. Ex eo tempore bina egregia organa in templo Lauretano eſſe cœperunt, Iulianum, & Gregorianum, quo maior concentuum varietas ſolemnia ſacra decoraret. Cæterum Cardinali Morono vita functo, Vaſtauillanus Cardinalis ſororis filius à Pontifice ſubrogatus. Qui Vincentio Caſali Maſſæ Epiſcopo deſignato, Vitalem Leonorium ſublegit, Laureti Pręſidem non pœnitendum. Is quippe, vt erat homo induſtrius, ſedula agrorum cultura Lauretanæ Domus vectigalia auctiora fecit, ac benignitate in pauperes peregrinos nihil remiſſa, in Procerũ hoſpitium lautum ac liberale curam intendit. Itaque nouum, egregiumque conclaue, quod nuper in Pontificijs ædibus extructum erat, magnifice ad hoc ipſum ornauit. Ibi Principes viros excipiens, quæcunque ad hoſpitalitatis munus pertinebant, ſumma cum cura exſequebatur. Ita omnes læti domos redibant liberaliter ſe Laureti habitos, cultoſque memorantes. Et ea res fructuoſa etiam Lauretanæ Domui, non ſolum decora Beatæ Mariæ exſtitit.

Vital. Leonorius Pref. Lauretan.

Hoſpitalit. Laur. Dom.

Ducis Gioieſæ, & Regis Galliæ pietas, ac munificentia in Aedem Lauretanam. Cap. IIII.

NVnquam alias ante plures diuerſarum gentium Proceres Lauretanam Aedem præſentia ſua, ac mune-

Viſt. Brig.

ribus

ribus coluerunt. Author eſt Victorius Brigantius (is Lauretananus ſacerdos aſſiduus, ac pius appendicem ſcripſit Hiſtoriæ Lauretanę) complures per id tempus Dynaſtas cum donis veniſſe Lauretum. Gioioſæ Dux Deiparæ ſalutandę ſtudio ex Gallia Laureto̅ profectus, haud minora liberalitatis, quam religionis ſigna præbuit. Quippe octo dies totos cultui B. Mariæ, & admirationi Aedis Lauretanæ dedit, quo temporis ſpatio ter in auguſtiſſima Virginis cella paſtus eſt cœleſti dape. Diſceſſurus autem quatuor aureorum millia in arcam coniecit munificentia memorabili. Nec eo contentus munere, cum ex vrbe Roma Pontificem de more veneratus diuertiſſet Florentiam, parem auri ſummã denuo Lauretanæ Virgini donum miſit. doni appendix bini argentei lychni ingentis ponderis fuere, qui aſſidue ante B. Virginem ardentes eximiam, ac pene regiam teſtantur munificentiam Gioioſæ Ducis. Hęc pecunia Lauretanarum ædium, quas Principibus viris excipiendis deſtinatas diximus, bonam condidit partem, eam ſcilicet, quæ è regione templi Lauretani perducta quidem ad culmen, ſed rudis adhuc, & impolita hodie cernitur. Nec regali Galli Ducis munificentiæ Rex ipſe Galliæ ceſſit. Henricus III. cum Lauretanam Virginem publicis implicatus negotijs viſere, ac muneribus colere ipſe non poſſet; Luſianum vnum ex proceribus Galliæ ſuo loco ad eam deſtinauit cum regali munere, anno M. D. LXXXIIII. Donum votiuum ſcyphus egregius erat Virgini, vt virilem regi regnoque ſtirpẽ impetraret, munus & materia & opere maxime inſigne. Scyphus ipſe è gemma excauata. lapidem lazuli hodie vocant, veteres ſapphirum (vt quibuſdam placet) appellabant. hæc gemma eximia magnitudine eſt, & aureis interniteт venis. Operculum ſcyphi cryſtallinum tornatile, quod auro circumcluſum clariſſimæ gemmæ diſtinguunt. Porro in ſummo operculo Angelus aureus Gallici regni inſigne lilium adamantinum ſuſtinet manu. Conſtat quippe lilium ex

Regis Franciæ Dõ egre.

tribus

tribus adamantibus auro mira arte illigatis. ſcyphi pes ſmaragdinus auro obducitur, atque ſubſternitur, circa gemmis eximijſque vnionibus adornatus. In Ipſa ſmaragdini pedis ſolea, quam auream eſſe diximus, doni author & cauſa his litteris inciſa.

VT QVÆ PROLE TVA MVNDVM REGINA BEASTI
ET REGNVM, ET REGEM PROLE BEARE VELIS
HENRICVS III. FRAN. ET POLON. REX
ANNO M. D. LXXXIV.

Cæterum occulto Dei conſilio preces interdum non audientis ad voluntatem, vt audiat ad ſalutem, donum ratum, votum irritum fuit.

Alia Gallorum Dynaſtarum *numera.* *Cap. V.*

DVX inde Humalæ, vnus è primoribus Galliæ Dynaſtis, Lauretanam Aedem acceſſit. Ibi ſolemnibns myſterijs rite procuratis totum fere quatriduum in auguſtiſſimo ſacello B. Virginis ſupplex exegit precibus. Demum Deipara muneribus culta, diſceſſit. Egregium Ducis Pernonij munus ſubinde Lauretum affertur, memorabili quidem inſigne miraculo. Dux Pernonius è Vaſconia Lugdunum ad Henricum Galliæ Regem tendens, in via Gioioſæ Ducem offendit eodē petentē. Itaque ſalute data acceptaque, ambo pariter iter facere coeperunt. Ventum erat ad anguſtam in præruptis rupibus viam, cum Pernonij equus factus eſt inſolentior, & equi inſolentia in Domini caput vertit. Pernonius obſtinate ſe erigentem, iactantemque equum cohibere connixus, de altiſsima rupe agitur præceps. Pro mortuo ſublatus in proximam Lugduno villam propere defertur. Hic omnium amicorum cariſsimus erat Regi. Rex igitur trepido nuncio excitus accurrit, totamque ibi tranſigit noctem, ſumma ope reme-

Vitt. Brig.

Ducis Pernonij caſus

remedia amiciſsimo viro adhibenda curans. Et Gioioſa vicem amici ſollicitus,pro eius ſalute Lauretanæ Virgini votum ſuſcipit. Nec fruſtra id fuit. Paucis horis interiectis, Pernonius liberius iam meante ſpiritu,alleuare oculos cœpit. inde paulatim redeunte animo, circumſtantes amicos agnoſcere. Ibi Gioioſa, vt illum mentis compotem, laxataque morbi vi, magnitudinem mali ſentire vidit, acceſſit propius: & bono animo eſſe iuſſum monet, magnam vt concipiat ſpem, ſibi Beatæ Mariæ Lauretanæ opem affuturam, cui ipſemet paulo ante pro ipſo vota feciſſet. Rogitat deinde vtrum id votum ratum habeat. Ille cum voce aſſentiri non poſſet, capite annuit. Incredibile dictu. paucis horis ſenſus omnes cum voce pariter recipit. paucis diebus e lecto ſurgit incolumis. Ergo beneficij ſatis memor, certum hominem ſuo loco ad exſoluen-
Ducis Pernonij D. dam voti religionem deſtinat exinde Lauretum: per eum binos ſolido ex argento angelos cubitales dicat, qui ad pedes B. Mariæ hinc, & hinc accenſis perpetuo cereis lucerent, monumentoque eſſent poſteris, Lauretanæ Virginis ope redditam ſibi huius lucis vſurã. Hanc Gallorum Principum pietatem æmulata Claudia Turnonia, arcis Turnoniæ effigiem argenteam miſit, ſeruatæ ne arcis votiuum donum, an voluntarium tutelæ Virginis conciliandæ? dono inſcriptum.

HOC ARCIS TVRNONIAE.

Marchio Badenſis brachio captus ex vulnere diuinitus perſanatur. *Cap. VI.*

Vict. Brig. HAud minor Germanorum Principum in Lauretanam Virginem pietas exſtitit,quam Gallorum. Iacobus Badæ Marchio, ex vulnere, quod in Colonienſi tumultu plumbea grande ictus in brachio acceperat, ad vltimum

timum venerat vitæ diſcrimen. Itaque Beatam Mariam Lauretanam, celebre etiam illis locis nomen, implorat vouens, ſe, ſi ſalutem recuperaſſet, Lauretum ad eam cum donis iturum. Nec fruſtra id votum fuit: mox periculo mortis eximitur: breui etiam ſanatur, ſed ita vt brachium graui vulnere impenſe læſum, niſi toto corporis trunco, mouere non poſſet. Igitur ſimul voti exſoluendi cura, ſimul recuperandi brachij ſpes eum ad Lauretanã Virginem adeundam ſtimulabant. Lauretum ſe contulit, anno huius ſeculi LXXXIIII. Biduo ante natalem Chriſti diem. Occultum omnibus ſuum volebat aduentum. Idcirco octo dumtaxat famulis comitatus venerat. Auguſtiſſimum ſacellum ingreſſus, B. Virgini pro recuperata ſalute enixius grates agit: votiuũque cuſtodibus donũ tradit: rogantibus nomen ſilentio ſupprimit. Inter dona fuit aureũ ſacerdotis amiculũ, & ex aureo torque pendens hyacinthus eximia magnitudine, ac ſpecie. præcipuum donum aurea veluti pyxis, mira vndique arte cælata. binos fere palmos circuitu amplectitur: & conchæ marinę inſtar bipartita, partibus inuicem nexis, aperitur, clauditurque. Intus Marchionis effigies B. Mariæ ſupplicantis, ſalutiſque per eam partæ monumentum: extrinſecus in altera parte S. Georgij, ex equo Draconem haſta figentis pulcherrimè cælata, & diſtincta gemmis imago: in altera ſimulacrum Suſannæ in lauacro à ſenibus depræhenſæ, eodem opere, ac ſpecie. gratum vſquequaque viſentibus ſpectaculum. At Marchio vt vetus votum exſoluit, nouo ſe obligat voto, ſi valetudinem integram recuperet; & adijcit voto preces. In ſacroſanctam Deiparæ cellam identidem regreſſus, expertum eius implorat auxilium: rogitat, vt ſuum beneficium abſolutum, ac perfectum velit, reddat brachium, cui reddiderit vitam. ita demum cumulatam, & valetudinem futuram, & gratiam. Inter has preces illo biduo abſumpto, cum bona ſpe in hoſpitium recipit ſe ſub ſolis occaſum. Nec ſua illũ ſpes fruſtrata eſt.

Marchi. Badenſis. D.

Cod. Laur.

ta eſt. Nox erat Chriſti natalis, & Marchio cubitum ierat: Ecce tibi tertia fere vigilia, B. Virgo candida in veſte collucens, ſe illi offert in quiete; & bonum animum habere iuſſo, brachium manu præhenſum extendit illico ſanatque. Confeſtim ille ſomno expergefactus, ac rei miraculo motus famulos inclamat, lumen propere inferri iubens. accurrunt impigre illi, illatoque lumine quid tandem rei ſit rogitant. tum Marchio, quæ dormienti ſpecies obuerſata ſit, enarrare: brachium Dei, ac Deiparæ dono ſanum ac vegetum oſtentare famulis attonitis rei nouitate, ac miraculo. Protinus cuncti pariter venerabundi Dei clementiam verbis efferre, B. Mariæ beneficium prædicare cœperunt. Haud facile aliud miraculum magis euidens, teſtatumque. Marchio ipſe vbi primum illuxit, Lauretano Præſidi totam rem ordine, vti geſta erat, expoſuit. & ille tantam rem haudquaqum negligendam ratus miraculum rite conſignandum litteris, ſubſcribendumque à teſtibus curauit. Notatum etiam hoſpitium vbi res accidit, nimirum id cuius inſigne eſt Vrſus, & cubiculum ipſum requirentibus hodie monſtratur. Marchio igitur gratijs Deo, ac B. Mariæ impenſe actis, Romam iter intendit. Quo vt venit, Gregorium Pontificem adit, rem omnem enarrat: bis expertam Lauretanæ Virginis opem miris extollit laudibus. Addebat miraculo fidem perſona narrantis. Nam Marchionis, vtpote Lutheranæ diſciplinæ innutriti, animum conſtabat ab eius ſectæ erroribus intactum non fuiſſe: ſed iam apparebat eum de Catholica religione, Chriſtique Vicario recte ſentire. Itaque Gregorius multiplicis miraculi admiratione pariter, lætitiaque perfuſus, Marchionem omni honore coluit. Vulgata inde res per Vrbem, cunctorumque ſermonibus celebrata, per eam occaſionem Lauretanæ Domus religio aucta. Porro Marchio Germaniā repetens rurſus Lauretanam Virginem reuiſit, iterum de tanto beneficio grates agit. Domum inde regreſſus, magno religioni adiumen

to

to fuit; vtique apud eos, qui Marchionem ex vulnere captum brachio nuper viderant, tunc diuinitus perſanatum videbant: Et ipſe dictis, factiſque negotium ſumma adiuuabat ope. Vbicumque opus erat, geminum in ſuo duplici incommodo Deiparæ auxilium memorabat, Lauretanam Virginem laudibus in coelum ferens. Ita porro vitam ipſe inſtituit, vt omnibus eſſet innocentiæ, ac pietatis exemplum. Valuit Principis authoritas præcipue apud populares ſuos. Complures eorum ad auitam religionem reuocati: dubij confirmati. multa etiam ab eo præclare inſtituta, genti ſuæ ſaluti futura, niſi immatura mors conſceleratorum fraude (vt creditum eſt) accerſita, optimi Principis ſalubria conſilia oppreſſiſſet. Cæterum illo extincto, iacta ab eo ſemina vigere dicuntur, quæ vberes fortaſſe ſuo tempore fruges, Deo propitio, fundent..

Eximia Dona, ac pietas Gulielmi Bauariæ Ducis, & aliorum Principum Germaniæ. *Cap. VII.*

Conſtans tam euidentis in nobiliſsimo Principe miraculi fama Germaniam peruagata, plures Dynaſtarum ad viſendam, ac muneribus colendam Aedem Lauretanam accendit. Horum Gulielmus Bauariæ Dux primas tulit, vir vel opibus, vel pietate Germani nominis longe princeps. Hic Marchionis Badenſis conſobrini ſui valetudine mire lætus, & paternæ in Virginem Lauretanam munificentiæ ſatis memor, regalis opulentiæ dona partim miſit Lauretum, partim attulit. Inter dona miſſa erant equus generoſiſsimus, laminaque argentea ebeno incluſa, vbi B. Mariæ Ieſum puerum gremio geſtantis, Ioſepho fugæ comite in Aegyptũ, effigies expreſſa cernitur. Cãdelabrum item argenteum penſile, non magis pondere,

Viſt. Brig.

Codic. Laur. Duc. Bauariæ D.

quam opere egregium. pondus eſt librarum LXXX: opus autem eiuſmodi, vt quatuor & viginti veluti rami ex eodẽ emineant trũco, ſcite omnes venuſteque diſpoſiti, adeo: vt totidem cereos ſatis laxe ſuſtineant. Ergo id candelabrum in ipſa Virginis cella perpetuo ante eius effigiem pendet. nobile omnino Bauari Ducis donum; ſed hoc nobilius, quod dotatum venit. Dotis nomine perpetuum aſſignatum à Duce ſtipendium, vt quotannis per quadragenos dies feſtos ac ſolemnes, candelis vicenis, & quaternis candidis B. Virgini luceat. Inde Dux ipſe ſua munera ſecutus: & quatuor dumtaxat comitantibus, Lauretum mutatis ſubinde equis cucurrit ignotus. Annus agebatur. M. D) LXXXV. Eximia tanti Principis modeſtia pietatem quoque inſigniorem fecit. Namque humanas aſpernatus delicias, vt diuinas liquidius hauriret, publicum, magnificumque Principibus excipiendis deſtinatum hoſpitium poſthabuit priuato, tenuique. Quippe ex aulici ſtrepitus; pompæque faſtidio, auidus religioſæ quietis, ad Patres Societatis Ieſu, de quo ordine optimè meritus erat, perſamiliariter diuertit. Ibique apud eos dies aliquot diuerſatus eſt, vulgari quidem victu, cultuque contentus. Cæterum tanta virtus diu latere non potuit. Præſes Bauari Ducis aduentu cognito, propere ad eum venit; perliberaliter inuitat hoſpitio, rogitat, vrget, inſtat: demum vt obfirmato animo recuſantem vidit, incepto irrito diſcedit. Nec minor in templo modeſtia Ducis fuit, quã in hoſpitio fuerat. Scabellum ad genua ſubmittenda, ſellaque ad conſidendum apparata erant pœne regio cultu. At ille non luxum ex Lauretana Aede, ſed pietatem petens, adeo aſpernatus eſt ea, vt ne aſpexerit quidem. In auguſtiſſima porro Virginis cella vſque eo Chriſtiana eius humilitas, pietaſque enituerunt; vt cæteris miraculo forent. Nam tanta animi corporiſque ſubmiſsione ſupplicabat in turba; vt vnum aliquem de populo crederes. Obuerſabatur credo eius animo Dei filius, *qui cum in forma*

Dei

Dei eſſet inibi exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Ita porro aſsiduus erat in ſupplicando, vt in B. Virginis Domo habitare videretur. Nec obſcuriore Laureti reliquit munificentiæ ſuæ, quam religionis veſtigia. Præcipuum eius donum fuit libellus ex auro ſolido, qui trifariã diuiſus, quatuor velut paginis gemmata ſigilla, egregiaſque imagines continet. Integumentum ex auro, vnionibus, gemmiſque clariſsimis, opere mirabili perfectum. pendet ex tribus catellis aureis, quas ex aureo fluentes annulo ingens ſapphirus excepit. Fama eſt, hoc donum octo aureorum millibus æſtimatum. Nec ferme aliud eſt in Aedis Lauretanæ theſauris, quod iucundius à peregrinis, auidiuſque viſatur. adeo non ſolum ornatus, ſed etiã interiorum imaginum, ſigillorumque eximia pulchritudo ſpectantium oculos capit, arte certante cum copia. Eiuſdem donum Chriſtus aureus fuit, ea ſpecie qua rediuiuus exſtitit è ſepulchro: ſed ſepulcrum adamantibus, pyropiſque collucet. Egregia Bauari Ducis pietas multis Germaniæ proceribus exemplo fuit Lauretanæ Virginis ſalutandæ, colendæque muneribus, quorum deinde aduectus in Xyſti V. Pontificatum incidit. Ducis tamen Branſuichienſis vxor amiculum argenteum B. Virginis, auro deſtinctum opere Phrygio, egregiam quoque aræ veſtem, margaritis, adamantibus, pyropiſque diſtinctam, dona portauit Gregorio Pontifice. Cardinalis porro Madrutius ex legatione, qua apud Rodulphum Cæſarem functus erat, reuerſus, crucem argenteam talium legatorum inſigne, Lauretanæ Virgini donum tulit, legationis feliciter obitæ illius præſidio atque ope monumentum.

Duc. Bauariæ. D. eximium.

Duc. Branſuichien. D.

Card. Madrutij D.

Italiæ Principum pietas, ac dona. *Cap. VIII.*

Vict. Brig. Ioa. Piccolhominei D. NEc obſcura per id tempus Italiæ Procerum pietas,
aut liberalitas fuit. Ioannes Piccolhomineus lami-
nam argenteam, in qua muli duo lecticam ferentes ex-
preſſi, quorum alter hominem humi iacentem calcibus pe
Duaræ D. tit, haud dubium depulſi Virginis ope diſcriminis argu-
Vict. Brig. mentum. Ioannes Baptiſta Duara Gonzaga compedes ar-
genteas pro ferreis, quibus vinctus fuerat, donum attu-
lit, indicium partæ per Virginem libertatis. Ludouicus
Ludou. Martinengi D. Martinengus Brixienſis calices quatuor ex argento inau-
March. Eſten. D. rato. Marchioniſſa Eſtenſis ſuam, filijque ſui imaginem
B. Mariæ ſupplicantem ex lamina argentea pondo XIIII.
Duc. Atriæ D. Dux Atriæ bina Angelorum ſimulacra ſeſquicubitalia,
præclaro opere, pondo XXXVI, quæ ante B. Virginem,
apud aram ipſam locata ardentes cereos perpetuo præfe-
runt. Votiuum id donum eſſe titulus baſi inciſus oſtendit.
Duc. Terræ Nouæ D. Dux Terræ nouæ lychnum argenteum penſilem librarum
XXII, haud minus opere, quam pondere egregium. Em-
Duc. Sabaudiæ D. egregium. manuel Philibertus Dux Sabaudiæ effigiem ſuam corona,
ſceptroque inſignem, in ſupplicantis modum ex auro ex-
Card. Columnæ D. preſſam, pondo librarum X. Cardinalis Columna Piceni
legatus vas argenteum opere eximio, pondere non con-
Card. Aragon. D. temnendo. Cardinalis Aragonius calicem aureum ope-
re, gemmis, & margaritis inſignem, crucem cryſtallinam
cum Chriſti effigie aurea, & quatuor candelabra argentea
Card. Riarij D. pulcherrime facta. Cardinalis Riarius aræ, & ſacerdotis
Card. Cuſani D. ornatum ex veſte Damaſcena. Auguſtinus Cuſanus, qui
ſubinde in Cardinalium Collegium eſt cooptatus, ſacer-
dotis arçque veſtem ex auro, argentoque contextam Lau-
Greg. XIII. Pont. D. retanæ Virgini donum dedit. Et Gregorius ipſe Pontifex
Lauretana Domo cultu, ac muneribus aucta admodum

lætus, ſuum quoque proprium Pontificis donum exſtare voluit. Romani Pontifices Dominica Quadragenarij ieiunij quarta (ea ab Miſſæ introitu, Dominica lætare dicitur) veteri ſolemnique more Roſam auream conſecrant. Ea ſtirps eſt, ſeu planta roſarum vernantium ex auro, quæ aureo inſerta vaſculo, & ex tripode eminens aureo, ſeſquicubitalem altitudinem facile excedit. Aureis nummis æſtimari fertur circiter mille. Pontificale hoc donum Reginis plerunque mitti ſolitum, Gregorius Lauretanæ Virgini vtpote reginæ mortalium & cœleſtium miſit. Et exſtat in medio vaſculo titulus donantis monumẽtum. Porro Nicolaus Gaetanus Cardinalis Sermonetæ nouo doni genere per id tempus Lauretanã Aedem honeſtauit. Hic ſiue communi familiæ (erat enim ex gente Bonifacij VIII, cuius Pontificatum ſacroſanctæ cellæ in Italiam aduentus inſignem fecerat) ſeu priuato quodam ſtudio, Lauretanæ Virgini vnice deditus erat. Itaque ſanus, ac valens in templo Lauretano, haud procul Deiparæ cella, ſedem ſepulcro ſuo delegit, idque magnifico ſane opere exſtruxit. Præclara vtique ac perampla eſt monumenti ſpecies, vario diſtincta marmore; & æneo Nicolai Cardinalis ſimulacro pulcherrime facto inſignis. Tabula marmorea ſub eo poſita his inciſa litteris. Card. Sermonetæ D.

NICOLAVS GAETANVS CARDINALIS SERMONETA
GENTILIS PAPÆ BONIF. VIII. CVM SVB ID TEMPVS
QVO ILLE PONTIFICATVM INIIT, SANCTAM HANC
DOMVM HIC TANDEM DIVINITVS CONSEDISSE
ET MVLTA SE A DEO OPT. MAX. B. VIRG. DEIPARÆ
PRECIBVS OBTINVISSE MEMINISSET, SPERANS
EIVSDEM OPEM MORIENTI NON DEFVTVRAM.
MONVMENTVM HOC MARMOREVM, VIVENS ET
INCOLVMIS SIBI FACIENDVM CVRAVIT, ATQVE
IN EO VBI MORTALITATEM EXVISSET, CORPVS
SVVM RECONDI VOLVIT ANN. AGENS LIV.
OBIIT ANNOS NATVS FERME LX.
ANN. SAL. HVM. M. D. LXXXV.
MENSE MAIO.

Nico-

Nicolaus igitur vita functus ab vrbe Roma Lauretum defertur. Ibi funus maximo apparatu factum, & abſoluto dudum ſepulcro corpus illatum, lapiſque ſuperpoſitus cum hoc titulo.

HIC HABITABO QVONIAM ELEGI EAM.

Exſtat hodie in templo Lauretano ſtragulum ingens ex veſte Attalica, quod vndique ambit faſcia prægrandis ex holoſerico villoſo, nigro, quà gentilitijs Gaetanæ familiæ inſignibus, quà crucibus aureis magnificè diſtincta; haud obſcurum magnifici funeris argumentum.

Lapidum, calciſue particulas ex ſacroſancta Domo auferentium temeritas diuinitus vindicatur.
Cap. VIIII.

Viſt. Brig. EOdem ipſo anno, qui fuit à Chriſto nato M. D. LXXXV. nouo miraculo intellectum eſt, quantæ curæ ſit Deo Lauretana Domus. Lapidis fragmentum relatum eſt ex Sicilia, cuius ablati, & culpa vetuſtior, & pœna longinquior Panormitanus ciuis viginti ante annis Lauretum profectus lapidē è ſacra ſurripuerat cella. Nec quantacumque pietatis in temerario facto ſpecies, aut interdicti Pontificalis ignoratio diuinam auertit iram. Domum regreſſus graui extemplo implicatur morbo: ac nę repentini mali cauſa dubia foret, quotannis circa id tempus, quo culpam admiſerat, pœnam luebat. Septembri menſe, aut certe Octobri, deficientibus ſubito viribus atroci vrgebatur febri. Nec medentium iudicio naturalis vlla morbo ſuberat cauſa, & ipſe culpam pietatis nominę inuolutam minime agnoſcebat. Tenuit ea res annos viginti: per quos annos inſanabili morbo nec cauſa, nec finis inueniebatūt. Ad extremum cum alia nulla cauſa appareret redeuntis in orbem mali; religio ſubijt ægrum animum, & conſcientia ſtimulante ſacerdoti vulnus aperuit.

Ille

Ille enimuero temerariam pietatem talis morbi originem eſſe ait, impenſe monens, vt ſacro lapide reſtituto, ſalutem in tuto locaret ſuam. Haud ſurdis hæc auribus dicta. Aeger veluti cœleſti voce iuſſus, lapidem eidem tradit remittendum, vnde olim ab ſe fuerat ablatus. Nec mora. ſaxo illo reddito, æger valetudinem recepit. Et res ſatis teſtata. Io: Baptiſta Carminata Societati Ieſu Præpoſitus in Sicilia Prouincia, ſacrum lapidem cum litteris totam rem enarrantibus Romam deſtinauit ad Cardinalem Vaſtauillanum Laureti Patronum. Ille eundem lapidem Leonorio Lauretano Præſidi cum Sicilienſibus litteris tranſmiſſum ſuo reponi loco iuſſit. Leonorius ergo ſimul ac primum ad Lauretum perlatus eſt lapis; ſolemni ſupplicatione indicta, obuiam ei procedit ad portam. Inde ſaxum miraculo clarum, quanta maxima poteſt pompa ad ſacram defertur Aedem. Mira res dictu, viſuque. Vix ſacroſanctæ Domui illatum erat, cum ſtatim (tanquam Deo monſtrante) vacuus apparuit locus, vnde viginti ab hinc annis fragmentum illud auulſum eſſe conſtabat. Repoſito in ſuum locum nota addita index miraculi, comprimendæ peregrinorum audaciæ. Per ea quippe tempora in minoribus lapidum fragmentis noua ſubinde mortalium temeritas noui prodendi exempli materiam Deo prębuerat. Multa inuenio exempla multorum, qui idem auſi celeriter pœnas dederũt ſtultitiæ ſuæ, quoad malis docti ablata reddiderunt. Ea nos, ne ſimilitudo ſatietatem pariat, omittemus. Nec ſacrorum lapidum maior, quam calcis interlitæ, qua lapides colligantur inter ſe, per idem ferme tempus Dei cura exſtitit. Alexandria vrbs eſt Longobardiæ haud ignobilis, in Alexandri Tertij Pontificis Maximi gratiam à fœderatis ciuitatibus condita appellataque. Huius ciuis Lauretum profectus paululum calcis furto abſtulerat è ſacroſancta Virginis cella. Inde domum regreſſus comminutam calcem ſimul cũ cerea agni coeleſtis effigie includit argento. Cæterum ſtulta pietas

Deo Deiparæque grata haudquaquam fuit. Vbi primum ille thecam (incertum quam ob cauſam) de coniugis ſuæ collo ſuſpendit, Dæmonum Dux eam inuaſit, cum non exigua ſatellitum ſuorum manu. Iamque annum nonum infelix mulier non ſine ingenti viri ſui dolore miſeris vexabatur modis; cum remedium illi diuina benignitas obtulit. Io: Baptiſta Vanninus Sacerdos è Societate Ieſu per id tempus Alexādriæ ſermones ſacros de more habebat ad populum. Is vbi rem cognouit ex ipſo viro, tanti mali authore, hortatur eum, vt ſacrum illum reſtituat puluerem, ſi fecerit, haud dubie coniugem breui ab exagitatore Diabolo liberam fore. Facile perſuaſum. Ergo ille ſacram calcem theca exemptam Vannino ipſemet tradit, orans, vt primo quoque tempore remittat eam Lauretum. Nec alterutrum ſpes fefellit. Paucis intermiſſis diebus, non tam exorciſmorum vis, quam B. Mariæ deprecatio ex obſeſſæ mulieris corpore tres Dæmones exagitatores excuſſit. Confeſtim igitur Vanninus creditam ſibi calcem theca incluſam Lauretum ad Rectorem Societatis Ieſu deſtinat, rogans per litteras, vt ſimul quod ablatum erat Lauretanæ reſtitueret Domui, ſimul miſeræ illi feminæ pacem, ac veniam à B. Virgine oraret: quo ſcilicet cæteris vexatoribus Diabolis expulſis, priſtinam ei redderet ſanitatem. Quod deinde ita vt orauerat, eueniſſe compertum eſt. Relata calx honeſto aſſeruatur loco, documentum mortalibus, ne tale quid audeant. Exſtant quoque Vannini litteræ. Tertio Idus Nouembris, Anno M. D. L X X I X. datæ, miraculi teſtes.

Epidauria nauis inſigni miraculo è manibus piratarum eripitur. Cap. X.

CAeterum nobiliſſimum maximeque illuſtrem Gregorij Pontificatum nobili illuſtrique claudamus miraculo. Epidauria nauis precioſis onuſta mercibus per eadem tempora Conſtantinopoli redibat Epidaurum. Raguſam vulgus appellat. In medio curſu, tanta ſubito maris malacia, ac tranquillitas exſtitit; vt deficiente vento nauis oneraria ſe loco mouere non poſſet. Extemplo plures adfuerunt myoparones piratarum, qui circumfuſi deſtitutam nauim ſumma vi oppugnare coeperunt. Chriſtiani primum & ſi pauciores numero, Barbarorum impetum egregie ſuſtinebant. Ad vltimum labore, ac vulneribus defatigati cedebant, nec viribus, nec animis pares. Iam prope res erat, vt victi caperentur à Barbaris, cum ſubijt eorum animos memoria Lauretanæ Virginis. Eam igitur cuncti inuocantes vouent, ſi imminenti eximantur periculo, egregium calicem Aedi Lauretanæ donum laturos: atque inibi labes animorum ſacra confeſſione pariter abſterſuros. Nec miſtæ voto preces in irritum cecidere. Repente ſpiſſa exorta caligo intendentibus ſe tenebris condidit lucem: & piratis prædæ inhiantibus conſpectum Epidauriæ nauis eripuit. Agnouere Chriſtiani Deiparæ auxilium: & lætitia ex metu geſtientes, Deo Deique matri certatim grates agebant. Contra furere, ac fremere Barbari dolore ereptæ de manibus prædæ, & tamen omnia conari, vt recuperent amiſsã. Sed fruſtra. Incubãs mari quędã quaſi nox iã proſpectum abſtulerat: & Barbari haud ſecus quam in cęcis tenebris errabant. Inter hæc. ecce tibi peropportuna inter nebulam afflans aura onerariam impellit. Ita nauis B. Maria fauente, periculo erepta Epi- *Anna. Laur. Rier.*

daurum appellitur. Inde nautæ, vectoreſque Lauretum petunt, vota perſoluunt. Hæ ferme Lauretanæ res Gregorio Pont.Max. euenerunt.

Lauretum à Xyſto V. ciuitatis iure donatum Epiſcopali ſede decoratur. Cap. XI.

EXinde Xyſtus V. Gregorij æmulator, vt cæteris rebus inferior videri noluit; ita ſtudio Lauretani cultus augendi, voluit haberi prior. Is quippe in Piceno natus, præcipuam Picentium Patronam omni ope ab ſe or-
Vict. Brig. nandam exiſtimauit. Itaque velut Marcelli II. Pontif. conſilia exſequeretur, Lauretum ciuitatis iure donatum Epiſcopali ſede decorauit, aliquot circa oppidis ei
Franc. Cantucius Epiſc. Laur. contributis. Primus Lauretanus Epiſcopus Franciſcus Cantucius fuit ciuis Peruſinus, vir doctrina æque, ac ſanctimonia clarus, qui nouam ſedem egregijs imbuit inſtitutis, exempliſque. At Xyſtus ne Lauretanæ vrbis nomen vanum, aut tenue foret, collem Laureto proximum (Montem Regalem incolæ appellant) coemptum æquare inſtitit. ita nouæ vrbi amplificandæ ſpatium ab ea parte fieri cœptum. Huic ſpatio coædificando, ſingulis Piceni ciuitatibus imperatum, vt ſuas quæque inibi excitarent ædes. Haud grauate obtemperatum. Interim Pontifex Picenum, cæteramque Pontificiam regionem latrocinijs infeſtam non magis ferro, quam auro ſalubri ratione pacauit. Quippe latronibus ipſis, atque exulibus impunitatis, ac præmij ſpe in ſocios incitatis, Duces eorum cæſi, cęteri partim interfecti à ſocijs, partim ob interfectos ſocios reſtituti. Ergo Picentium ciuitates Picenti Pontifici, & de ſua gente, & de Aede Lauretana optime merito egregiam ex ære ſtatuam locauere. Nec ſuis per id tempus ornamentis Aedes Lauretana caruit

caruit

caruit. Pilæ, quæ pro columnis fornicem ſuſtinent,& ipſa templi fornix, Cantucij Epiſcopi ſumptu,marmorato opere adornari cœpta. Sacellum vnum è maioribus à Cardinali Aragonio picturis D. Thomæ Aquinatis præclare facta exprimentibus,gypſo, auroque adornatum. Sacellum porro omnium maximum à Ducibus Hetruriæ, & Bauariæ expetitum, dirimendi certaminis cauſa, à communi Picentium eximijs pictorum plaſtarumque operibus excultum, plurimoque exornatum auro. Inter hæc Leonorius Laureti Præſes ornandę, augendæque rei Lauretanæ intentus,Lactantij Venturæ nobilis architecti opera,faciē Baſilicæ opus à Gregorio maxima ex parte perfectum,ad culmen pene perduxit. Bonam Pontificiarum ædium partem excitauit è regione templi. Et Ferdinandus Archidux Auſtriæ de Lauretana ædificatione admonitus à Duce Bauariæ, eiuſdem inſtinctu Lauretanæ Virginis cæſam è ſylua materiam donauit. quæ in onerariam impoſita,& Adriatico commiſſa mari Lauretum incolumis B. Maria fauente peruenit. In ea magna vis erat ingentium trabiū aſſerumque facile tribus aureorum millibus æſtimabilis.

Card.Aragon.ſacell.

Sacel. com. Picen.

Archiducis Auſtr. D.

Cardinalis Gioioſa ſuum Galliæ patrocinium Virgini Lauretanæ commendat. Cap. XII.

CAntucius inde primus Laureti Epiſcopus, ſeptimo quam Epiſcopatum inierat menſe,exceſſit e vita. Ingens bonis omnibus ſui deſiderium reliquit, pauperibus maxime, quorum parens habebatur.Porrò tanta eum ſanctitatis fama proſecuta eſt, vt facile appareret,verum eſſe, quod prouerbij obtinet locum: primum cuiuſque ciuitatis Epiſcopum ſanctum eſſe oportere. Cantucio ſub lectus Rutilius Benzonius ciuis Ro: qui eruditione, & Eccleſiaſticæ dignitatis ſtudio clarus, quà ſacris concioni-bus

Viſt. Brig.

Rutilius Bēzonius Epiſcopus Lau.

bus, quà prçclaris inſtitutis Lauretanam ædem excoluit. vt iam ſacro cultu, ac maieſtate, nulli propemodum ſacrarum ædium ſit ſecunda. Sub id tempus Cardinalis Gioſoſa nouus Galliç Patronus Romam petens ex Gallia, cum nobiliſſimorum hominũ comitatu Lauretum diuertit. Deductus eſt in Aedem Lauretanam à Mattheucio Archiepiſcopo Raguſeo, eodemque Anconæ Prætore, Octauio Bandino Piceni Præſide,& Rutilio Benzonio Epiſcopo Laurerano, qui aduentanti Cardinali obuiam proceſſerant. Ibi Gioioſa in Virginis cella pie admodum ſacris operatus, ſibi in animo eſſe dixit, ſuum Galliæ patrocinium certiſſimæ mortalium Patronę impenſius commẽdare: ac proinde ſolennem quadraginta horarum ſupplicationem inibi inſtituere. Pium Cardinalis conſilium non modo authoritas probauit Lauretani Epiſcopi, ſed etiam concio decorauit. A cõcione ſupplicatio ſummis hominũ ſtudijs celebrata, tum à Clero Lauretano, oppidaniſque, tum à Capucinorum manu, quam ad id Gioioſa ſecum adduxerat. Cardinalis autem in eo cuius ipſe author foret, nemini cedens, ſuis cæteriſque omnibus, vel pietatatis, vel modeſtiæ exemplo fuit.

Cardinalis Galli Patroni Lauretani egregia ſtudia erga Beatam Virginem. Cap. XIII.

Vict. Brig.

CAeterum ille annus haud celebrior Lauretanis rebus fuit quam funeſtior. Biduo poſt peractas ſupplicationes, Leonorius Laureti Prætor, Patronus inde Cardinalis Vaſtauillanus, alter ſuper alterum peſtifero morbo abſumpti. Itaque Lauretana tutela delata ad Anton. Mariam Cardinalem Gallum, tum Peruſinum Epiſcopũ, nunc Auximatem. Ab eo Io: Franciſcus Gallus patruus Lauretanæ adminiſtrationi præpoſitus. Nec ita multo

Card. Gallus Patron. Lauretanus Franc. Gal. Præſes.

poſt

poſt Cardin. Gallus nouus Patronus Lauretum Pontificis iuſſu contulit ſe. Ibi ſumma omnium ordinum lætitia & gratulatione exceptus, creandorum Lauretanæ ciuitatis Magiſtratuum leges, ac iura deſcripſit. Annus tum agebatur à Virg. part. M.D.LXXXVII. Quo eodem anno ſignum æneum Xyſti Quinti Pontificis Maximi pulcherrime factum Berardini manu, ſummis ſtudijs Lauretanorum, Picentiumque, maxima accolarum, peregrinorumque frequentia in templi gradibus poſitum eſt. Exinde Io: Franciſco Gallo Laureti Præſide, templi facies ad faſtigium aliquando perducta, egregium ſanæ Aedis Lauretanæ decus. Quippe & magnifice deſcripta eſt, & perfecta ſolerter. Tota conſtat ex Iſtro lapide (is ex Iſtria aduectus, Tiburtini, quo tantopere vſi ſunt olim, & vtuntur hodie Romani, ſpeciem reddit) examuſſim quadrato. tanto autem artificio ſtructa, vt tantum opus pene ex vna lapidis gleba conſtare dicas. In media facie tanquã os, ianua patet maxima, ſtriatis columnis marmoreis, & arcuata corona inſignis. Huius latera binæ ianuæ minores cingunt ſtylobatis, paraſtatiſque columnis interpoſitæ, quibus facies ſubnixa conſurgit. Supra ianuam maximam, B. Mariæ paruum filium complexæ effigies ænea viſitur pulcherrime facta, Lombardi manu. Sub faſtigio in ipſa fronte ingens feneſtra oculi inſtar, ſtriatis columnis, cælatiſque operibus adornata Baſilicæ lumen præbet. Super feneſtram titulus Aedis Lauretanę aureis litteris in Luculleo marmore inciſus. DEIPARAE DOMVS, VBI VERBVM CARO FACTVM EST. Humiliores ianuis minoribus feneſtræ datæ: quæ Baſilicæ alis impertiant lumen. Et ſupra haſce feneſtras ſua cuique inſcriptio in pari marmore, aureis pariter inciſa litteris. altera eſt.

Lauret. Templi facies.

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS
ECCLESIAM HANC EX COLLEGIATA
CATHEDRALEM CONSTITVIT
XVI. KAL. APR. AN. M. D. LXXXVI. P. AN. I.

Altera verò.

SIXTVS V. PONT. MAX. PICENVS
LAVRETI OPPIDVM
EPISCOPALI DIGNITATE ORNATVM
CIVITATIS IVRE DONAVIT
AN. M. D. LXXXVI. P. AN. I.

Abſolutum erat opus, niſi quod gradus deſiderabantur, quibus aſcenderetur in templum. Igitur Io. Franciſci Galli ſucceſſor Hieronymus Gabutius nouos gradus ab illo inchoatos ex Iſtro itē lapide ſatis ample magnificeque perfecit. Idem laternam egregiā templi hemiſphærio impoſuit. Ea quoque ex eodem ſtructa ſaxo, conſtat columnis octo nouenorum pedum, opere Ionico. Intercolumnia feneſtras octo præbent arcuatas, quibus aliæ totidem ſuperadditæ latitudine pares, altitudine longe minores. Super has corona ducta, culmen octo quaſi coſtis diſcretum ſuſtinet. Id vero ſimiliter, vt hemiſphærium, plumbeis intectum laminis longe lateque conſpicitur. Cardinalis porro Gallus, vt eum ſua pietas admonebat, ab Aede ornanda ad pauperes ſubleuandos verſus, congeſta ingenti pecuniæ vi, Laureti Montem Pietatis inſtituit: vbi pauperibus oppidanis pecunia mutua daretur gratis, ne cogerentur iniquitatem ſubire fœneratorum. Cæterum illud maxime memorabile Xyſti V. Pont. munus, (alij ad Gregorium XIII. trahunt) quod Lauretani templi valuas ex ære cælandas locauit aureorum millibus XL. Trium ianuarum fores erunt æneæ, vbi ſacrarum hiſtoriarum argumenta mirabili opere cælata viſantur. Magnum omnino opus, ac multorum annorum. Et quantum ex principijs coniectare licet, longe egregium ac mirabile. Sic prorſus, vt nobiliſſimis S. Ioannis Baptiſtæ valuis, quæ Florentiæ miraculo ſunt, ab ijs qui vtraſque inſpexerunt, haud immerito

rito conferantur: maximum vtique Lauretano templo ornamentum, & iucundiſſimum peregrinis ſpectaculum praebiturae.

Dona Lauretanae Virgini lata miſſaue. *Cap. XIIII.*

NEc vero Lauretana Domus pauperum incolarum cō-modis ſeruiens peregrinorum muneribus caruit. *Codic. Laur.* Bononienſis Sodalit. D. Fabrorum ferrariorum Bononienſis ſodalitas ingens candelabrum fuſile ex aurichalco donum portauit, non minus opere, quam inuſitata magnitudine, ac pondere viſendū. Reginae Frā ciae D. Catharina Medicea Franciae Regina, ac Regum mater lychnum argenteum & pondere, & artificio inſignem, donum Lauretanae Virgini miſit cum dote, vt perpetuo luceret. Duc. Cliuiae D. Ducis Cliuiae vxor amiculum B. Virginis aureum, argento illuſum opere Phrygio, effigiemque ſuam in lamina argentea B. Mariae Lauretanae ſupplicantem: ſed hoc poſterius donum commune multorum. Duc. Parm. filiae D. Parmenſis Ducis filia binas, Fed. Tomac. Federicus Tomacellus, & Ant. Spinel. Antonius Spinellus Neapolitani, Alfon. Vicecom. D. Alphonſus Vicecomes Mediolanenſis, March. Capurſij D. Marchio Capurſius, & Ep. Eugu. D. Epiſcopus Eugubinus ſingulas laminas argenteas cum effigie quiſque ſua ſupplice, quaternarum fere librarum: March. Vaſti D. Marchio Vaſti imaginem ſuam in aureo orbe minutis adamantibus, pyropiſque circumfulgente depictam Lauretanę Virgini conſecrarunt. Horum donorum, plaeraque votiua eſſe indicat Eugubinae laminae titulus. EXAVDITA EST ORATIO TVA. Caeterum hi ſua, alij ſuorum votiua ſimulacra miſerunt. Princip. Sciliani D. Princeps Stiliani argenteam filioli ſui effigiem Deiparae dicauit ſupplicē. Liuiae Pignatellae D. Liuia Pignatella Neapolitana viri ſui paruum filium B. Mariae offerentis imaginem, ex argento expreſſam pondo quatuor. Princip. Amalphet. D. Princeps Amalphetana infantem argenteum faſcijs obligatum, ponderis dimidio maioris. Ducis Sabaudiae D. egre. Philibertus Emmanuel Dux Sabaudiae donum in hoc genere egre-

re egregium, infantis faſcijs inuoluti ſimulacrum aureum
iuſtæ ſtaturæ, ob filium B. Mariæ precibus ex recenti ma-
Corneti ſimulac. arg. trimonio genitum. Quin etiam Cornetana Ciuitas ſuæ
vrbis ſimulacrum in lamina argentea ebeno incluſa, donũ
portauit, ſubiecto titulo inſigne. CORNETVM CIVI-
TAS FIDELIS. Ab alijs porro ſacra ſupellex data. Gu-
Duc. Mantuani D. lielmus Mantuæ Dux bina candelabra ex argento ſexqui-
cubitalia, Chriſtique crucifixi effigiẽ præclaram ex auro in
cruce aurea: omnia mirabili opere, atque arte perfecta B.
Principis Mant. D. Virgini dona trãſmiſſit. Nec ita multo poſt Mantuę Prin-
ceps paternam pietatem æmulatus, aræ, ſacerdotis, mi-
niſtrorum ſolenni ceremonia ſacrificantium veſtes argen
teas opere Phrygio, margaritis, auroque diſtinctas, voti-
March. Imperial. D. ua pro ſuſcepta prole munera attulit. Marchio Imperia-
lis Auria vir inſigni aduerſus Lauretanam Virginem reli-
gione, aureum cum patina calicem, lychnumque tripli-
cem argenteum, pondere iuxta, & opere eximium tulit,
quem ab ſe certo ſtipendio dotatum præcipuis diebus fe-
ſtis in medio ardere ſacello voluit. Indidem lychnus alius
March. Lippæi D. argenteus pendet egregio opere trifariam diſtinctus, vo-
tiuum Marchionis Lippæi Mediolanenſis donum. Comes
Comit. Oliuarenſis D. quoque Oliuarenſis Catholici Regis apud Pontificem Le
gatus cum coniuge Lauretum profectus, lychnum argen
teum B. Mariæ dono dedit. Aræ inſuper, & ſacerdotis veſ-
tem auro, argentoque fulgentem, opere Luſitanico ſane
egregio, & dona ingenti pecunia cumulauit. Proregina
Proreg. Neapol. D. Neapolitana argenteum ciborium auro illuſum, magnifi-
Portiæ Vitellæ D. coque opere cælatum. Portia Vitellia Chriſti crucifixi ef-
figiem auream hebeno incluſam. Cardinalis Auſtriacus bi
Card. Auſtriaci D. na candelabra ſolido ex hebeno gẽmis, auroque diſtincta.
Hieron. Grimaldi D. Hieronymus Grimaldus Genuenſis totidem candelabra
ex argento cubitalia pondo XV. Lychni prętereà argen-
tei non vulgari pondere, atque opere complures, tacitis
donantium nominibus, lati: vnus aureus multorum inſtar,
Duc. Vrbinatium D. Franciſci Mariæ Vrbinatiũ Ducis donũ, non materia ma-

gis, quam opere inclytum. Lychnus quippe trium angelorum humeris ſuſtinetur, & Angeli ramos quernos (inſigne id eſt Robureæ familiæ) prætendunt manibus. totum opus ex auro ſolido mirabili arte perfectum pondo librarum decem. Ergo ob eximiam dignationem, præcipuus ei locus datus, vt ante ipſa ora B. Virginis medius inter argenteos lychnos ex catellis aureis pendens perpetuo luceat. Iam altarium veſtes aureæ ſingulæ dono datæ a Marchione Robureo, itemque à Benedicto Cardinali Iuſtiniano, à Camilla Peretta Xyſti Pont. ſorore germana, quæ etiam amiculum B. Mariæ tulit, auro, Phrygioque opere viſendum. Aliud amiculum dono miſit Dux Bouini fœmina lectiſſima ex holoſerico raſo violaceo, margaritis, gemmiſque conſperſo ad regiam magnificentiam, niſi breuitas obſtaret. Attalicam quoque veſtem precioſis ſubſutam pellibus, curſorum præmium Florentiæ ludis partum Iuſtus Iuſteius Comes Veronẽſis B. Mariæ velut authori victoriæ cõſecrauit. Ab alijs alia B. Virgini ornãdæ dona ex mũdo fere muliebri deprõpta. Dux Cliuiæ eximia pietate mulier torquem aureum põdere iuxta, & opere eximiũ: armillas aureas pyropis, adamantibuſque diſtinctas: aureumque annulum nobili gemma inſignem dono dedit. Vidobonus eques Ducis Bauaræ œconomus ſuo, & coniugis ſuæ nomine, binos aureos annulos adamante, ac pyropo inſignes inuicem inſertos, quibus inſcriprum eſt. QVOS DEVS CONIVNXIT, HOMO NON SEPARET. Ludouicus Georgius Papienſis torquem aureum libralem eleganti opere perfectum. Marchus Antonius Blanchettus Bononienſis coronam gemmeam auro illigatam. Caſteluetrani Principis coniux aureum orbem ingentis inſtar numiſmatis, adamantibus, ſmaragdis, margaritiſque fulgentem. Illud vero haud magis doni precio quam donandi modo memorabile. Comes Antonius Martinengus cum Caratæ Marchionis filia de gemmata paruæ molis, ſed ingentis pretij cruce, multos iam diſcepta-

March. Roburei D.
Card. Iuſtiniani D.
Camillæ Perettæ D.
Duc. Bouini D.
Comit. Iuſti D.
Duc. Cliuiæ D.
Equit. Vidoboni D.
Ludouici Georgij D.
M. Ant. Blãcheti D.
Princip. Caſteluetr. D.
Com. Martinengi D.

rat annos. Cum nullus litis exitus reperiretur, conuenit inter eos, vt controuerſa crux Lauretanæ Virgini adiudicaretur. Gratum id Deiparę fuiſſe docuit euentus. Eam crucem depoſitam apud ſe Hieronyma Columna Dux Montis Leonis habebat. Igitur ſorte quadam diuinitus accidit, vt cum Martinengus religionis ergo ad Aedem Lauretanam veniſſet ineunte Maio, eodem tempore, iiſdemque diebus Hieronyma quoque veniret, Martinengi aduentus prorſus ignara. Ergo illum ex improuiſo Laureti conſpicata obſtupuit primo: inde ſalute data, redditaque, crucem illam B. Mariæ adiudicatam ſe mira opportunitate ſecum attuliſſe ait. Et aderat ſolennis inuentæ Chriſti Cruci dies. Itaque ambo rei diuinitus attemperatæ miraculo attoniti, ad ſacroſanctam cellam pariter pergunt: gemmatamque crucem, ipſo die Cruci ſacro dedicant Virgini. dicas illam ſuo tempore repetijſſe depoſitum. Ea crux hodie è gemmata B. Virginis Zona pendet eximij ornamenti præcipuum decus. conſtat quippe adamantibus ſatis magnis nouem, quos tres vniones ingenti magnitudine inſtar ceraſorum adornant. quatuor circiter aureorum millibus æſtimatur.

Epiſcopus Hybernus bis Hæreticorum piratarum manus euadit. Adoleſcens præſenti naufragio eripitur. Cap. XV.

NEc muneribus, quam miraculis clarior per id tempus Lauretana Aedes exſtitit. Edmundus Hybernus Ardacacenſis Epiſcopus eodem ferme tempore duplicis voti reus Lauretum venit. Veniendi cauſa hæc fuit. Is ob religionē ab Eliſabetha Angliæ Regina pulſus in exilium, cum fidis aliquot famulis profugerat in Scotiam. Sed vnde præſidium quærebat, periculum exſtitit. Scotiæ Proceres Anglæ Reginæ rogatu, Edmundum in vincula

conijci

conijci iubent. At ille rem odoratus, clam conſcenſa naui, Reginæ inſidias ſolerter eluſit. Cæterum manifeſto periculo perfunctus, haud multo poſt occultum aliud diſcrimen incurrit. Nec fortuita res, ſed diuina fuit. Id adeo, & diſcriminis tempus, & oblatum in tempore cœleſte auxilium oſtendit. Nam dum Galliam Edmundus petit, in Dracum Anglum Archipiratam nobilem incidit, Pridie Natalis diei B.Mariæ, qui dies ab Epiſcopo, eiuſq; famulis pręcipua veneratione agitabatur. Et oblata in ſõnis vni ex comitibus ſpecies omnes ad ſpem ſalutis erexit. Is ea nocte, quæ occurſum hoſtium anteceſſit, viſus ſibi erat in quiete cum hæreticis in magno hominum conſeſſu diſceptare nudus. Ibi nuditatem ſuam erubeſcenti virgo excellenti forma, candida in veſte occurrit, quæ illum enixe rogitantem, vt ſuam nuditatem tegeret, benigne, comiterque ſua operuit palla. Hoc ille deinde viſum cum enuntiaſſet Epiſcopo; communi conſenſu ſtatuerunt, obuerſatam in ſomnis Virginem, vtique Deiparam fuiſſe, cuius præſidio tegendi forent. Itaque Edmundus aduentante hoſtium claſſe, cum humanum nullum pateret effugium, Mariæ Lauretanæ (cuius dies natalis certam ei ſpem oſtendebat ſalutis) cum ſuis implorat opem. Adiectum precibus votum. Hoſtium manus ſi euaſiſſent, ad Lauretanam Aedem ituros, ac per triduum inibi ſacris operaturos. Nec irritæ preces, votumue. Gubernator nauis, qua vehebantur, ſpecie hæreticus, Catholicorum fautorem ſe in ipſo temporis articulo præbuit. Namque vt Anglicanam claſſem adeſſe vidit; ratus id quod erat, Catholicos, quos vehebat ad necem quæri, Epiſcopum cum famulis occuluit in ſentina, remotiſſimo ab oculis, tenebricoſiſſimoque loco. Ibi naui iam ab Anglis capta, & in Angliam abducta, octo ipſos latuerunt dies, Nauarcho cibaria ſemel in die clam ſubminiſtrante. Neque tamen interim prædones Angli ſegniter captam ſcrutati ſunt onerariam. Quotidie certatim infenſis animis, omnes

rima-

rimabantur angulos,Epiſcopum de cuius fuga cognorant quæritantes. Ad vltimum accenſis facibus, cuncta intentius perſcrutantes delabuntur in ſentinam. Ventum erat ad latebram. Quo præſentius periculum, hoc euidentius Deiparæ auxilium exſtitit. Iam ſacerdotem, cui viſum in ſomnis obiectum diximus,depræhenſum in proximum attraxerant tabulatum, cæteros veſtigaturi, cum diuinum Catholicis præſidium ſenſerunt adeſſe. Mox quippe ſacerdotem illum diuinitus ex ipſorum elapſum manibus nunquam poſtea reperire potuerunt. Ergo octauo demum die ſcrutandi defatigatione, curam quærendi Epiſcopi omiſerunt. ita nauis dimiſſa à prædonibus iter cœptum repetijt. Ecce autem aliud ex alio periculum. In eodem Gallicano curſu claſſis alia piratarum occurrit, qui truculentiores prioribus, Edmundum Epiſcopum Eliſabethæ Reginæ inſtinctu quærebant ad necem. Hi naui capta, in eam tranſiliunt, euertunt merces, admotiſque luminibus cuncta loca ſcrutantur intentiore cura. Venitur ad latebram. tandem Epiſcopus ipſe comprehēditur. Actū erat,niſi præſens Deiparæ tutela furorem hoſtium retudiſſet. Ecce tibi dum captum extrahere conantur,repente capti ipſi oculis,lymphatiſque ſimiles errare cœperunt. Tandem haud dubia Dei vindicis ira conterriti, captam onerariam dimittunt. Illa repetito curſu,optatum fauente Virgine tenuit portum, bis paucis diebus vltimo periculo defuncta. Epiſcopus eiuſque familiares votorum, haud parum memores, protinus ex eo loco, vbi in terram deſcenderant, pedibus Lauretum vſque venerunt an. poſt Chr. natum M.D.LXXXVI. Et Epiſcopus votis rite perſolutis totam rem litteris conſignatam apud Aedem Lauretanā reliquit,duplicis in duplici periculo ſuo auxilij B. Mariæ argumentum. Inſequenti anno alium B. Virgo haud minore miraculo à maris fluctibus liberauit, quam illos ab infeſtis prædonibus liberauerat. Ioan: Baptiſta Capra à Monte Albodo (oppidi in Piceno nomen eſt) adoleſcens

probus

probus, ac pius, phaſelo vectus Calabriæ oram legebat. Ventum erat in conſpectum inſulæ Vulcaniæ (ea Siciliæ inſulæ obiacet) cum repente eum atrox vis tempeſtatis adorta in vltimum diſcrimen adduxit. Iam fractis remis, veloque amiſſo, prope erat, vt vexata nauicula mergeretur vndis, cum ipſe ad ſpem ſalutis ſemet erexit.. Itaque Mariam Lauretanam inuocans exclamat. Vt Angeli tuam Domum in Picenum, vbi nunc colitur; detulerunt, ſic tu: Deipara Virgo nauiculam hanc defer in portum. mira res. His precibus, velut freno iniecto, procella ſedatur: ſecundus repente ventus exſiſtit. Phaſelus in tutum appellitur. B. Virginem clienti ſuo obſecundare, & famæ tranſuectæ ab Angelis Domus ſuæ fauere ſentires.

Duo ſacerdotes Lauretanæ Domus calcem furto ſublatam malo docti reſtituunt. Cap. XVI.

CONfirmata hoc miraculo Lauretanæ hiſtoriæ fides, alio ſubinde ſacroſanctæ Domus religio ſancita. Eodem ipſo anno ſacerdotes duo Placentini, ex compoſito, calcis aliquid e ſacro pariete ſuſtulerant eo conſilio, vt id ſecum circumgeſtarent, Lauretanæ Virginis monumentum, vitæque præſidium. Sed quæſitũ inuito Deo præſidium in periculum vertit. In patriam regreſſos atrox pariter, minaxque occupat febris: qua pertinaciter tertium iam menſem vrgente, tandem reſipiſcunt. Subit animum memoria Luſitani Epiſcopi; qui quanquam permiſſu Pontificis, lapidem ex Lauretana Aede ſumpſiſſet; tamen infenſo Deo, pene exitiali oppreſſus ſit morbo, ex quo non ante conualuerit, quam ſacrum Virgini reſtituerit lapidem. Ergo ambo communi conſilio decernunt B. Mariæ reddere, quod abſtuliſſent: eamque enixe orant ipſorum inſcitiæ ignoſcat: ſuaque recepta re,

Vict. Brig.

priſti-

priſtinam eis reſtituat ſanitatem. Nec mora. calcem illam ſerico ſacculo includũt:litteras addunt miraculi teſtes. Peregrinis Lauretum petentibus tradunt. ipſi valetudinem recuperant. Calx vt erat in ſacculo ſerico à Placentinis aduenis Lauretum ad Rutilium Benzonium Epiſcopum perlata. Recitatis Placentinorum ſacerdotum litteris, fides miraculo facta: vulgata inde res: & duorum exemplo repreſſa audacia multorum.

Duobus Beata Maria eadem ſpecie, qua Laureti colitur oblata deſperatam à medicis ſalutem reddit.
Cap. XVII.

Vit. Brig. NEC natalem magis Domum, quam effigiem ſuam cum Domo allatam ſibi cordi eſſe B. Virgo per id tempus oſtendit. Tiberius Delphynus Ducis Mantuani aſſecla carus in paucis fuit. Hic graui, diutinaque febris tabe conſumptus, vrgente vi mali, haud procul aberat à fine. Iamque ſacerdos eius animum Chriſtianis myſterijs munitum ſolennibus precibus Dei, Diuorumque tutelæ impenſius commendabat, cum moribundo Lauretana Aedes miraculis inclyta occurrit, quam cum valeret, occupationes viſere prohibuerant. Subinde per quietem oblata Lauretanæ Domus, ac Virginis ſpecies eum, & ad votum Deiparæ concipiendum, & ad bene de ſe ſperandum erexit. Nec ſpes irrita fuit. Qui modo omnibus deſtitutus iacebat ſenſibus, quaſi reuiuiſcens, apertis oculis, liberius meante iam ſpiritu, loqui coepit: & conceptum Lauretanæ Virginis adeundæ votum expoſuit cunctis, qui aderant, rei admiratione obſtupefactis. Paucis inde intermiſſis diebus plane conualuit. Cæterum ille, vt primum per valetudinem votiuæ peregrinationis iter exſequi, vtcumque potuit

(adeo incenſa erat voti exſoluendi cupido) nondum ex morbo ſatis validus Lauretum petit. Eo vbi ventum eſt, gratijs Deo, Deique matri auide, impenſeque actis, vota alacer gaudio ſoluit. Exinde religioſiſſimum Beatæ Mariæ ſimulacrum cominus intentiore contemplatus cura, enimuero (inquit) hac ipſa ſpecie mihi moribundo Beatà Maria ſecundum quietem eſt viſa; vt facile appareat Lauretanam effigiem illi, aut ſimillimam eſſe, aut certe cariſſimam. Alio deinde conſimili miraculo huius rei adfirmata fides: Ioannes Raffredus adoleſcens è Laſturo vico Venetæ ditionis non procul Bergamo, inſanabili oppreſſus morbo iacebat. Ad morbi tabem, qua miſerrime conficiebatur, accedebant dolores acerrimi, ac pene perpetui membrorum omnium. Itaque deſperatis medentium auxilijs, Lauretanam Virginem inuocat vouens, ſemetque ad eam, ſi voti compos fuerit, primo quoque tempore iturum. Nec incaſſum votum cecidit. Iam deſtitutus à medicis, non tam cum morbo, quam cum morte luctabatur; cum repēte animam agenti ſpes ſalutis affulſit. B. Virgo, velut ex inſperato ſe illi oſtendit eadem ſpecie, qua Laureti colitur (quam tamen ipſe nunquam, ne pictam quidem antea viderat) bonoque animo eſſe iuſſum ingenti lętitia ſimul, & religione perfudit, Confeſtim æger vtcumque poterat, ſuper ſtrato genua moliri venerabūdus; magnaq. fiducia in vltimo illo ſalutis diſcrimine, Deiparę fidē implorare cœpit. Et illa blādo, maternoq. vultu, omitte, inquit, timorē fili. haudquaquam ex iſto morbo morieris. Tu modo gratus eſto, ac voti memor. Cæterum illo domeſticos inclamante, vt illuc properarēt, cœleſtē reginam veneraturi, B. Virgo repente ex oculis abijt. Et exſtitit vtrinque promiſſi fides. Aeger paulo poſt valetudine recuperata, Lauretum protinus ad reddenda vota perrexit, anno ſeculi huius XC. Ibi per otium Deiparæ contemplatus effigiem,

Ii affir-

affirmauit ijs, quibus rem omnem enunciarat, eadem prorſus forma, ornatuque ſibi in quiete B. Virginem obuerſatam. Credas illam ſpeciem, habitumque eſſe cordi B. Mariæ.

Eques Belga inſigni miraculo liberatus ab hoſtibus, ingenti mole cereum dicat. Cap. XVIII.

Viſt. Brig. CEreus votiuus vaſtæ magnitudinis, pondo CCC. per idem tempus à Belga equite nobili B. Virgini dono miſſus eſt, pene incredibilis miraculi teſtis. Voti, donique cauſa fuit, quod ille eques (nomen non proditur, quia ipſe occultatum voluit) in Flandria, B. Mariæ ope manifeſtũ capitis diſcrimen effugerat. Quippe iuſſu Parmenſis Principis, cum equitibus octo explorandi cauſa improuide progreſſus, in hoſtium præcipitarat inſidias. Erant hoſtes circiter octingenti. partim equites, partim pedites, qui impigre circumfuſi omnem illi effugij ſpem ademerãt. Non tamen animis cecidit Belga, ſed inuocata B. Maria Lauretana, adhortans ſocios fortiter pugnam capeſſit. Tantumque apud eos valuit fiducia Virginis; vt facile tanti periculi cogitationem excuteret. Itaque repente paruæ illi manui creuere animi vireſque: nec imploratum cœleſte auxilium pugnantibus defuit. Cum tot vndique manus eos inceſſerent telis; Deiparæ præſidio tecti hoſtilem impetũ, telorumque procellam tantiſper ſuſtinuere; quoad Hiſpanienſes copiæ venere ſubſidio. Tum vero periculum in hoſtes vertit: plærique eorum cæſi, captiue. Ac ne dubia foret vis coeleſtis auxilij; neque ipſe eques, neque comitũ quiſquam omnino: nec vero vllus eorum equus in tam atroci pugna, quæ tenuit horas duas, vlla eſt læſus ex parte. Sentires illos Deo protegente pugnaſſe, quo propugnante viciſſent. Ergo ille tam inſignis miraculi æternum

Laureti

Laureti voluit exſtare monumentum. Ingenti mole cereũ, quem dixi, ea lege miſit, vt ante auguſtam Virginis Domum certis arderet diebus. ſtipendiumque certum attribuiſſe dicitur, vt illo abſumpto, alius deinceps pari magnitudine cereus ſubſtituatur, ad poſteritatis memoriam ſempiternam.

Surdus aurium vſum recuperat. *Cap. XVIIII.*

MIrandum minus, ſed magis etiam teſtatum eſt, quod ſubijciam. Eraſmus Decanus Cathedralis Eccleſiæ Cracouienſis in Polonia, vtraque captus aure nihil admodum audiebat: ſic prorſus, vt non tam verbis, quam nutibus cum eo agendum foret. Is ante obſtructas morbo aures, de admirabilibus Lauretanæ Virginis rebus, rumore nuncio multa cognorat. Tandem igitur poſtquam in medicis nihil opis eſſe apparuit, ægrum morbo animum ſubijt diuina vis Domus Lauretanæ. Ergo haud dubia ſpe erectus Lauretum venit. In auguſtiſſima Virginis cella ſacrum facit, Diuæ opem implorans. Ibi præſentiſſimũ morbi remedium inuenit. Sacris operatus ſiniſtram ſibi apertam ſenſit aurem: poſtridie re diuina inibi facta, dexteræ quoque auris vſum recuperat. Ita qui ſurdaſter, aut ſurdus potius ſacroſanctam Aedem intrauerat, intra biduum exijt lætus aurium vſu recepto. Totam rem ipſimet Rutilio Benzonio Epiſcopo, & Andreæ Bentiuolo Præſidi Lauretano miſtis gaudio lacrymis enarrauit. Non. Apr. Anni M. D. XC. Inter hæc Lauretum noua vrbs, laxato ſpatio ſtrenue ædificabatur. Cæterum immatura Xyſti Pont. mors opus ab alijs quoque Pontificibus fruſtra tentatum ſubito interrupit. Mons Regalis circumciſus, ac ſemirutus relictus: nouæ ædes extra vetus pomœrium ſitæ nunc pro ſuburbio ſunt, quarum etiam bona pars inchoa-

Ann. Laur. Rier. Vict. Brig.

Andreas Bẽtiuolus Præſ. Laur.

tæ manent. credas B. Mariæ Lauretanæ, quæ in ſolitudine ſibi ſedem quæſierit, ciuitatis celebritatem cordi non fuiſſe: ne quem aduenarum magis vrbis fama, quam loci religio inuitaret. Sub id tempus Andreæ Bentiuolo extincto in adminiſtratione Lauretana ſucceſſit Fuluius Paulucius Protonotarius Apoſtolicus, cuius virtutem difficillima tempora exercuerunt pariter, & illuſtrarunt.

Fuluius Pauluc. Præf. Laur.

Munera difficillimis Greg. XIIII. temporibus Virgini miſſa, lataue. Cap. XX.

ANno deinde M. D. XC. Septembri menſe, Vrbanus VII. Pontifex creatur, non minus breuitate Pontificatus, quam cunctorum deſiderio memorandus. Sublectus Vrbano Gregorius XIIII. vir bonus ac pius, ſed ferme valetudinarius, Pontificatum geſſit annuum. Tempeſtas fuit omnino miſera, & infelix, nec vlla facies mali defuit. Latrones quos extrema Xyſti tempora effuderãt, gregatim impune volitabant. Pontificiæque regionis vias infeſtas habebant. Ad hæc erat ſumma cum caritate inopia. Super omnia foeda lues, extremæ famis comes, tota pene Italia per omnes ordines, atque ætates vagabatur. Neque is ſolum, ſed etiam inſequens annus Italiæ funeſtus fuit. Ergo agri cultoribus, vrbes ciuibus, oppida viciique incolis propemodum exhauſti; nec tam morbo quã (quod miſerius eſt) fame. Hac igitur tempeſtate Laureti minus vtique ſolito aduenarum, ac donorum; cæterum plus votorum fuit Lauretani templi viſendi, adornandique. Id adeo inſecuti anni ſatis oſtenderunt. Nec tamen illa ipſa tempeſtas, quæ ciuibus vrbes exhauſit, non auxit muneribus Lauretanam Domum. Lælius Pignatellus Neap. lychnum argenteum bilibrem Virgini dicauit. Cardinalis Sfondratus Gregorij XIIII. fratris filius B. Mariæ Lauretanæ effigiem ex argentea lamina expreſſam librarum

Lælij Pignatelli D. Card. Sfondrati D.

librarum ferme trium. Hercules Sfondratus Comes conſimilem B. Mariæ effigiem argenteam decem pondo; aliã inſuper laminam argenteam ſimili opere, ſed pondere diſpari, & binos vrceolos argenteos. Alfonſus Coroneus gemmeam paterã ingentis pretij. Ea tornatilis eſt ex vnagẽma excauata. ſmaragdi genus videtur. vulgo Agathã appellant. Dionyſius Delphynus Venetus præclarũ ſacrificaturi ſacerdotis ornatum ex textili argenteo: Polyxena Perneſtaina Proregina Boemiæ auream pallam argenteis floſculis tanquam ſtellis ſcite, eleganterque diſtinctam (ex ea Epiſcopale amiculum ſane egregium factum) Lauretanæ Virgini dicauit. Cæterum illud munus maxime memorabile, nec minus fructu, quam opulentia eximium. Petrus Tyrannus Callienſis, homo prædiues & opulentus in primis, moriens Lauretanam Virginem teſtamento hæredem fecit ex aſſe. Hæreditatis caput Falconaria, prædium ſane luculentum. Id haud magis tritici, quàm vini ferax, loco ſitum eſt maxime opportuno. Haud procul abeſt Ancona marique: vt facile inde fruges fructuſque Lauretum ſubuehi nauigijs queant. Aeſtimatur vniuerſa hæreditas aureorum millibus circiter ſexaginta. opportunum ſane Lauretanæ Domus neceſſitati, vel iam vrgenti, vel imminenti ſubſidium. Quippe ſumma illa rerum caritas atque inopia, quæ per id tempus afflixit Italiam, ſimul ingentes Aedis Lauretanæ ſumptus impenſe augebat; ſimul eleemoſynarum, donorumque prouentum maxima intercipiebant ex parte. Nam præter D. CCC. nummos aureos, quos arca Lauretana quotannis Epiſcopo penſitat, circiter ſena aureorum millia in Canonicos XII. totidem Sacerdotes Manſionarios, vt vocant, ſex clericos chori adiutores, ſymphoniacos plurimos, alioſque complures templi miniſtros, cereos, oleum, cæterumque ædis cultum erogat. Præſidis quoque Lauretani cohortem, ingentem fabrorum, ruſticorum, paſtorum familiam alit. His accedunt Collegia duo, Societatis

Comitis Sfõdrati D.

Alfonſi Coronei D.

Dionyſ. Delphyni D.

Proreginæ Boemiæ D.

Petri Tyranni hæreditas.

tis Ieſu vnum, alterum Illyricorum. In quæ cum meliora eſſent tempora, quinque ferme aureorum millia in annos ſingulos inſumebantur. Ad hæc in Noſocomio & Xenodochio plurimi peregrini, quà ægri, quà pauperes ſuſtentantur. Cœnobitis quoque, & ſacerdotibus victus in triduum præberi: cæteris aduenis egentibus publice panis diuidi ſolet. Epiſcopi porro, Cardinales, alijque Principes viri benigne lauteque tractantur. Et ædificatio ſumptuoſa iuxta & honorifica B. Virgini, nunquam ferme intermittitur. Igitur hi tanti, tamque immanes annui ſumptus XX. aureorum millia excedere dicuntur) quos in vilitate rerum, & copia, ægre Lauretana res ſuſtinebat, illis temporibus creſcebant in immenſum. Et annonæ inopia ferme quadriennium tenuit. Quo tempore agrorum, arcæque prouentus duplo, aut etiam triplo minor erat, quam ſolebat: & tamen pene duplicabatur impenſa. Lauretanis itaque difficultatibus Callienſis hæreditas mira opportunitate ſubuenit, non in præſens tempus magis, quam in futurum. Subinde parua dictu res Aedis Lauretanæ religionem haud parum illuſtrauit. Marcus Sara latronum Dux nobilis Pontificiam ditionem infeſtam habebat armis. Hic cum maxima conſceleratorum manu in Picenum venit. Cæterum vicit eius animum religio Virginis. Lauretum prætergreſſus, vbi opportunum nactus eſt locum; feſta cũcti agminis diploſione Lauretanam Virginem ſalutauit. Adeoque non violauit res Lauretanas, vt etiam ſacroſanctam Aedem coluerit donis. Nam cum templi, vrbiſque aditu prohiberetur, certum hominem deſtinauit Lauretũ cum munere. Ita pecunia Deiparæ vltro donata ab ijs, qui etiam per vulnera, & cædes quærere pecuniam aſſueuerunt, Deo in matris ſuæ gratiam efferata quoque pectora mitigante. Paulucius interim Præſes, & ſi ſumma erat annonæ caritas & inopia; tamen magnam vim panis egentibus peregrinis diuiſit quotidie, eo gratius munus, quo maior illos vrgebat fames.

M. Saræ in Aedẽ Laur. reuerentia.

Præ-

Præcipuæ Clementis Octaui Indulgentiæ. Cap. XXI.

ANnuum Gregorij xiiij. Pontificatum Innocentius IX. menſtruus ferme Pontifex excepit, quem coeptis ingentibus clarum ſubita mors præripiens, eximiam bonorum fefellit ſpem. Innocentio Clemens viij. ſubrogatus paterna prouidentia nobilis. Is quippe annonæ caritatem improbitate hominum auctam ſua ſedulitate laxauit: graſſatoribus de medio ſublatis, obſeſſas aperuit vias magno Lauretanæ peregrinationis bono. Idem ab inſita pietate erga Deiparam Virginem, Lauretanam Aedem inſigni Indulgentiarum beneficio cumulauit; vt nihil iam adijci poſſe videatur. Haud ignarus erat Lauretanum templum quouis anni tempore ab aduenis celebrari. Superiorum Pontificum Indulgentias certis definitas temporibus videbat. Indignum rebatur complures peregrinorum per hyemem tot tantiſque itinerum laboribus periculiſque perfunctos à Virgine Lauretana diſcedere Indulgentiarum expertes. præſertim ita tradito more, vt nullum Lauretanę peregrinationis munus tam ſolemne eſſet, quam animos ſacra confeſſione impenſius expiandi, nouæque in poſterum vitæ inſtituendæ. Itaque Clemens Pont. optimum ratus, ac B. Mariæ decorum, neminem ab ea triſtem diſcedere; omnibus quocumque anni tempore Lauretanam Virginis cellam rite adeuntibus delictorum omnium veniam benigniſſime conceſſit. Quin etiam permiſit, vt dies translatæ in Picenum Sacræ Domus quotannis Laureti celebraretur Quarto Id. Decembris. Inter hæc confluentibus vndique agminibus conuenarum, vetus Lauretanæ maieſtatis nitor, ac ſpecies reſtitui cœpta. Nec modo ſtudia hominum, ſed etiam vota, donaque temporum difficultate creuerunt. Cardinalis

Sfon-

Card. Sfondrati Dona. Sfondratus ad Bononienſem legationem proficiſcens Lauretum diuertit. Ibi Deipara enixe ſalutata, ingens eum cupido inceſſit Lauretanam effigiem propius contemplandi. Igitur ſcalis admotis, venerabundus aſcendit. Beatæ Virginis lineamenta, diu multumque contemplatus, annulum egregium, Cardinalatus inſigne, clam ſibimet detrahit: & B. Mariæ dicatum deſcendens relinquit, ſiue religionis erga illam ſuæ pignus, ſiue illius erga ſe patrocinij argumentum. Annulus eſt aureus egregio adamante illuſtris, quingentis aureis æſtimatur. Hæc autem præcipua Cardinalis Sfondrati laus. Intra biennium ter Lauretanam Virginem ex itinere interuiſit: tribuſque eam eximijs muneribus coluit, adeo pium eius animum auguſtiſſimæ cellæ dulcedo ceperat. Eodem quippe anno Bononia Romam remigrans Lauretum ad Patronam ſuam ſalutandam reuertit, nec apparuit in eius conſpectu vacuus. Crucem auream octo pulcherrimis ſmaragdis viſendam B. Virgini conſecrauit. Ea crux quatuor circiter aureorum millibus eſſe perhibetur. pendet ex opulentiſſimo Deiparæ torque gemmato, egregium eius ornamentum. Inſequenti deinde anno Cardinalis Sfondratus Mediolanum repetens Lauretanam reuiſit Virginem, eique annulum aureum eximio adamante inſignem dono dedit. Adamas humano vngue maior eſt, qui Chriſti pueri digito inſertus, luminum repercuſſu, velut ſidus emicat, hoc inſignius donum, quod ad id ipſum ab illo emptum duobus aureorum millibus conſtat. Adamantem porrò alium aureo illigatum annulo Antonius Parauicinus Cremonenſis donum tulit, pari fortaſſe animo, ſed precio haudquaquam pari: aureis circiter centum æſtimatum ferunt. Cardinalis inde Lotharingus multiplex regiæ opulentiæ munus per certos homines miſit, crucem chryſtallinam cum aurea Chriſti effigie, calicem item aureum pede ſuffultum cryſtallino, candelabra duo, binos vrceolos cum pollubro, vaſculum aquæ luſtralis cum ſuo aſpergillo, pixidem,

Anton. Parauicini D.

Card. Lotaringi D.

dem, paciferamque imaginem, omnia è nobili cryſtallo, auro, electroque perfecta: binis ternisue aureorum millibus æſtimantur. Cardinalis Cæſij hæredes picturam textilem eximiam dono dederunt. In ea Lauretanæ Virginis imago viſitur tecto inſidentis, multis circa Angelis affictis. opus omnino egregium, totum ſerico, auroque contextum. ternos fere cubitus quaqua verſus patet. Deiparæ porro, & Angelorum imagines tanto artificio expreſſæ, vt ſpirare videantur. Cardinalis Ruſticucius aræ, & ſacerdotis veſtes argenteas, Lauretanæ Virginis effigie, & gentis ſuę inſignibus conſpicuas, donum attulit. Victorius Labdamarus Laudenſis aræ ornatum egregium ex veſte argentea, criſpo opere, floribuſque eminentibus inſignem: alterum aræ ornatum Princeps Venuſinus ex Attalica veſte auro criſpante diſtincta. Iaſon Villanus ciuis Bononienſis ſacerdotalem ornatum ex veſte Attalica, criſpo auro, & gentilitijs inſignibus nobilem. Bernardus Strozius Florentinus duas altarium, totidem ſacerdotum veſtes auro, argentoque fulgentes. Marchio Riani ſacerdotis, miniſtrorumque ſolenni ritu operantium argenteas veſtes ſericis floſculis, iuſta per interualla conſperſas. Super hæc Epiſcopale amiculũ cõſimili materia atque opere. Lucas Turregianus Florẽtinus, aræ, ac ſacerdotis ornatũ ex argenteo textili, quod ingentes aurei flores criſpãti opere diſtinguunt. Ferdinandus Gonzaga aræ veſtem aureã opere Phrygio, ac margaritis illuſtrẽ. Scipio Spinellus Dux Seminariæ bina vaſa argẽtea cubitalia egregie facta, cælataque: vtrũque ſacris B. Mariæ emblematis, & argumẽtis inſigne: ex altero argenteũ liliũ multiplex, ex altero aureus vernantium roſarum ramus exiſtit. ea vaſa ad Virginis pedes hinc, & hinc locata viſuntur. Marcus Germanus Valcaſſani Baro coronam ex margaritis, gemmiſque in roſarum modum compactis, auroque illigatis. Dux Terræ Nouæ Antiſtitem B. Mariæ ſupplicantem in aurea lamina cælatum: calicem item, patinamque pariter ex au-

Card Cæſij Donum.

Card. Ruſticucii. D.

Victor. Labdam. D.

Princ. Venuſini. D.

Iaſon. Villani D.

Bernardi Stroz. Don.

March. Riani D.

Luc. Turregiani D.

Ferd. Gonzag. D.

Duc. Seminaiæ D.

Baronis Valcaſ. D.

Duc. Terræ nouæ D.

Virg.Vrſin. Noment.d. ro. Virginij Vrſini Nomentani vxor Virginis Lauretanæ ſupplicantis effigiem ex argento pene bilibrem. Lucæ Turregiani D. Lucas Turregianus Florentinus ſuam, & vxoris imagines argenteas in morem ſupplicantium, ponderis non contemnendi. Alij denique alias imagines argenteis laminis expreſſas, binarum, ternarumque librarum Deiparæ Lauretanæ dicarant. Petri Lomellini D. Illud huius generis eximium. Petrus Lomellinus Genuenſis argenteum infantem naturali ſtatura faſcijs conſtrictum pondo X. dono miſit. votiuum id donum eſſe facile coniectare licet. Illa haud dubie votiua. Humanum caput iuſtæ magnitudinis, ponderiſque ex auro ab Iacobi Grimani D. Io: Iacobo Grimano miſſum. Maxilla cum dentibus ex argento expreſſa adamantibus duobus, tribuſque pyropis inſignis à Franciſco Deitriſtanio intimo Clementis Pontificis cubiculario: Franc. Deitriſtan. D. lychni etiam argentei complures dono miſſi, artificio, ac pondere præclari. Sed vnus eminet inter omnes, Io: Caroli Imper. D. Io: Caroli Imperialis Genuenſis donum. Is lychnus tribus veluti ramis ſigillatis conſpicuus trifariam lucet. pondus eſt librarum circiter xxx. Cæterum aliud in alio genere donum eximium Magni Duc. Hetrur. D. Ferdinandi Medices Magni Hetruriæ Ducis. Triremis argentea bicubitalis, remigio, armamentiſque omnibus inſtructa, ornataque, pondo circiter XL. Votiuum donum eſſe inſculpta in vtroque triremis latere verba declarant.

FERDIN. MED. MAG. HETR. D.
OB TRIREMES SVAS A PESTE LIBERATAS
DEIPARÆ VIRGINI DICAVIT.
AN. M.D.XCIII.

Card. Montalti D. eximium. Egregium quoque pondere, ac pretio Cardinalis Montalti donum fuit. Is effigiem ſuam, ac fratris ſui argenteam pulcherrime factam pondo CXL. Lauretanæ Virgini conſecrauit pio cum titulo.

ALEX.

ALEX. PERETTVS CARD. MONTAL. S.R.E. VICECAN.
XYSTI V. NEPOS
D. MARIÆ IPSVM, ET MICHAELEM FR. PERPETVO
SVSTENTANTI MEMOR ET GRATVS
SACRVM MONVMENTVM POS.
AN. M.D.XCIIII.

Opus pluris duobus aureorum millibus ſtetiſſe dicitur.

Illuſtrium feminarum munera.
Cap. XXII.

NEC nobilium feminarũ liberalitas per idem tempus obſcura fuit. Polixena Perneſtaina Proregina Boemię S. Gerionis Thebæorum Ducis caput præclara incluſum theca, Lauretanæ Virgini donum miſit. Theca argentea auro interlita, & egregie facta S. Gerionis loricati ſpeciem reddit à pectore: & lorica eſt argento, auroque conſpicua, caput martyris gemmata redimitum corona. Huic ſubiecta baſis ex hebeno, argentoque ſacras Thebæorum martyrum reliquias cryſtallo incluſas oſtentat: votiuum donum eſſe conſtat. à Polyxena Proregina pro ſalute viri ſui recuperata, Virgini redditum. Princeps Vaſtallæ binas effigies aureas, alteram ſuam, alterã viri ſui cum duobus cordibus aureis ſex pondo B. Virgini dedicauit. Maria Boadilia triremem cum B. Mariæ Lauretanæ effigie ſublimi, ex lamina expreſſam argentea. Principis Caſteluetrani vxor crucem auream mole quidem exiguam, ſed materia nobilem, quippe ſex adamantibus auro illigatis nitet. Ducis Niuernienſis vxor bina candelabra argentea bene facta pondo librarum octo, per coniugem ſuum Virgini donum miſit. Hieronyma Spinula ornatum aræ ex veſte Damaſcena violacea, auro conſpicuum, binoſq. vrceolos cum ſuo pollubro ex argento pulchre, ſciteque factos. Violanta Farneſia bina candelabra argentea

[Margin: Proreg. Boemiæ D.]
[Margin: Princip. Vaſtal. D.]
[Margin: Mariæ Baldiliæ D.]
[Margin: Princip. Caſteluet. D.]
[Margin: Duc. Niuernenſis D.]
[Margin: Hieron. Spinulæ D.]
[Margin: Violan. Farneſ. Don.]

Saluſt.Creſcent. D. egregio opere. Salluſtia Creſcentia Romana amiculum B. Virginis argenteum ſtellis aureis illuſtre. Principis Biſiniani vxor Draconem aureolum gemmis diſtinctum clariſſimis, pretio ſeptingentorum ferme aureorum. Iuſtina Viceco-mes arę veſtem ex auro, argento, ſericoque ſubtilem, pictam opere mirabili, nouoque. Nam continuatis inuicemque implexis aureis, argēteis, ſericiſque verſicoloribus filis, totū opus per ſe, nullo ſubſtratu, adminiculoque fultū acu pertexitur, vacuis in medio ſpatijs relictis. vulgo punctum in aere appellant. Opus reconditi artificij ac laboris pene infiniti. Hoc igitur opere tota illa, quam dixi, aræ veſtis perfecta eſt. Quindecim inibi B. Mariæ Roſarij myſteria ſcite expreſſa viſuntur, quadratis incluſa ſpatijs, alterniſque ingētibus floribus diſtincta, velut opere ſcutulato: ac ne inania ſint vacua illa operis ſpatia; tota veſtis argenteo textili ſubſuta interniter. Id vero (ſi famæ credimus) Vicecomitis matronę nobiliſſimæ non donum modo, ſed etiam opus fuit. quamquam complura eſſe nobilium feminarum munera, quæ earundem etiam opera ſint, ſatis conſtat: caliçum præcipue ſacrorum velamenta & B. Mariæ amicula. Iſabella quoque conſobrina Ducis Sabaudiæ coniux D. Syluestri N. donum miſit, ſua (vt ferunt) elaboratum manu, ſane egregium: aræ, ſacerdotis, miniſtrorumque ſolenni cerimonia operantium veſtes ex ſerico, auroque contextas opere nouo, ac mirabili. Iacoba Dux Cliuiæ Badenſis Marchionis (cui brachium Laureti diuinitus ſanatum docuimus) germana ſoror torquem aureum, globo ex pyropis, adamantibuſque pendulo inſignem, Lauretanæ Virgini donum miſit.

Saluſt. Creſcent. D. Princip. Biſiniau. D.

Iuſtin. Vicecom. D.

Iſabellæ Sabaudæ D.

Duc. Cliuiæ D.

Aduen-

Aduentus, & dona Chriſtinæ vxoris Magni Hetruriæ Ducis. Cap. XXIII.

CÆterum Chriſtinæ vxoris Magni Hetruriæ Ducis aduentus vel pietatis, vel munificentiæ argumentis maxime inſignis fuit. Hæc cum regali pene comitatu Lauretum petens ingentia ſecum dona attulit. Attamen Chriſtianæ pariter modeſtiæ, & S. Franciſci memor vulgarem veſtitum cinerei coloris adamauit: aurum, gemmaſque depoſuit, vt cœleſtis Reginæ, cui ſciebat cordi ſemper fuiſſe paupertatem, illa cultus ſimplicitate caperet oculos. Et Dominæ exemplum apud ancillas, matronas, aſſeclas, ipſoſque corporis cuſtodes valuit. Omnes Lauretanæ peregrinationis comites, modeſtiæ quoque, & coloris ſocij fuere. Nec Clemens Pont. inſigni clariſſimæ feminæ pietati defuit. Tranſeunti per Pontificiæ ditionis oppida, vbique lautiæ præbitæ regio apparatu, quacumque incedebat, non magis veſtitus tenuitas miraculo erat, quam eximia pietas exemplo; vtique poſteaquam Laureto appropinquauit. Quippe vbi primum Recineto egreſſa, procul Lauretanæ Baſilicæ tecta conſpexit; confeſtim lectica, qua vehebatur, exilit: procumbit in genua: B. Virginem ſalutat de via, nullo aſſeclarum detrectante pietatis officium, quod Domina occupaſſet. Inde pedibus cum Epiſcopis aliquot, cæteroque comitatu Lauretum ingreſſa, ad B.Mariæ proceſſit Aedem. Ibi contempto puluino, cæteroque apparatu, in ſacroſanctæ Domus veſtibulo genua ſnbmittit venerabunda. Hortantibus certatim Epiſcopis, ipſoque Cardinale Gallo, vt ipſam Deiparæ cellam intraret, nefas eſſe reſpondit ante noxas ſacra confeſſione abſterſas, auguſtiſſimum illud limen intrare, & os ſuum ſanctiſſimæ Virgini oſtendere. Nec vllæ

cuiuſ-

cuiuſquam preces de propoſito eam deducere potuerunt, adeo rara in eius mente inſidebat religio Lauretanę Domus. Tandem igitur animo rite expiato, cœleſtique dape refecto, ſacroſanctam cellam ingreditur. Creuerat pietatis ardor, vt fit, iniecta mora. Ergo B. Mariæ viſendæ, ſalutandæque ſtudio accenſa procidit ſupplex: ibique impenſis precibus plures abſumpſit horas. Neque id ſemel fecit, ſed toto triduo, tandiu enim Laureti ſubſtitit. Quo quidem tempore adeo erat in templo aſſidua, ſacriſque intenta officijs; vt eam in templo habitare crederes: His pietatis indicijs par munificentia reſpondit. Sub digreſſum pueros cum donis regalis opulentiæ miſit in templum. Altarium, ſacerdotis, miniſtrorumque ſolenni ritu operantium veſtes inter dona erant, auro, argentoque trifariam criſpante, mirabili opere, artificioque perfectæ: ſuper hæc arę toralia, & materia, & opere maxime inſignia. Quippe totum pene eorum ſpatium occupant Prophetarum, Sibyllarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum imagines egregiæ, ſcite inſertæ ramuſculis, floribuſque. Opus autem vniuerſum acu mira prorſus arte depictum. affirmare auſim, vix quicquam in eo genere artificioſius, precioſius, admirabilius vſpiam factum. ſatis conſtat eius manu precium ad octo aureorum millia perueniſſe. Eximia ſacrorum calicum velamenta, aliaque generis eiuſdem in doni cumulum acceſſere.

Sacerdotis Hiſpani teſtimonium, & donum miraculo inſigne.

Cap. XXIV.

PEr eadem tempora Alfonſus Sancius Hiſpanus ſacerdos doctus iuxta, piuſque Lauretum venit, recens ab vltimo oriente, inſuliſque Sinarum, quæ Philippinæ

vocantur. Hunc egomet paulo ante Virginis cella egreſſum offendi loci religione attonitum. Stuporis cauſam familiariter quærenti mihi reſpondet admirabundus: Pro Deus immortalis, quid hoc tandem rei eſt? equidem nihil vnquam tale expertus ſum in vita, nuſquam reperi præſentiorem Deum, adeo in hac ſacroſancta Aede, vis quædam diuina meo ſe animo ſuperfudit. Adiecit deinde ſe, & ad Vadalupæ, & ad Mõtis ſerrati, aliaſque nobiles in Hiſpania B. Virginis ædes acceſſiſſe cæterum nuſquam tam præſens ſenſiſſe coeleſte numen. nimirum illic corticem hic medullam eſſe. Idem per Card. Gaetanum, cuius in comitatu venerat, cum impetraſſet à Lauretano Præſide, vt liceret ei in ſanctiore cellæ parte per noctare totam ibi precibus, ac vigilijs noctem exegit. Ac deinde familiaribus ſuis affirmauit, nullam ſibi in omni vita iucundiorem, beatioremque abijſſe noctem. Porro cupido eum cepit auguſtiſſimam Virginis cellam munere aliquo ſuo ornatam relinquendi. Candidam veſtem Damaſcenam inde vſque ab Sinis aduexerat: hac loculamentum Deiparæ Virginis, & Chriſti Crucifixi cnm ſacra Aede delatam imaginem decorare conſtituit. Igitur ſarcinator acceſſitur, qui explicata, dimenſaque veſte Damaſcena, negare primo ad vtrumque opus ſatis ibi materiæ eſſe, inde Sancio inſtãte, vt intentiore cura omnia dimetiretur, diu hæſitauit. Ad vltimum Damaſcena veſte ſæpius in omnes partes verſata, affirmare coepit, rationem ab ſe tandem repertam efficiendi quod vellet: ſed ita, vt illa ornamenta paulo breuiora exiſterent, quam opus foret. Agedum igitur, inquit Sancius, & iſtam ſequere rationem; ſiquid deerit, B. Maria ſibi ipſa ſupplebit. Morem gerit ille, ac ne qua foret erroris ſuſpicio, vetus loculamenti periſtroma ad manum habebat, ad quod formam referret noui. Veſtem Damaſcenam Sancio inſpectante diſſectam defert ſecum in officinam. Poſtero die prima luce attonito ſimilis Sancium adit exclamans, enimuero B. Virginē

in ſuo

in ſuo ornamento haud dubium miraculum perpetraſſe. Nouum loculamenti periſtroma, quod heſterna die breuius iuſto fuerit, iā eſſe longius palmo. Sequitur hominem in officinam Sancius, fidem oculis ſuis, non illius vocibus habiturus. comperit haud vana illum attuliſſe. Nec quicquam excogitare ipſe potuit, quæ rem miraculo eximeret. Videbat quippe Crucifixi velum, quod faciendum curauerat, iuſtum eſſe, nihilque inde detractum: & Damaſcena veſtis erat peregrino quodam opere facta, vt fraus addentis ex noſtrati, fallere gnarum talium rerum haudquaquam poſſet. quanquam talibus in rebus non addentis, ſed detrahentis fraus timeri ſolet. Ad hæc ipſemet Sancius, cum alijs multis adfuerat ſarcinatori veſtē dimetienti, diſſecantique: vt nihil per imprudentiam erratum eſſe conſtaret. Itaque & ab ipſo, & ab alijs pro miraculo habitum: nos rem in medio relinquemus.

Armillæ B. Virgini oblatæ ſua ſponte Chriſti pueri manibus inſeruntur. Cap. XXV.

CAeterum illud non magis doni genere, quam euentu mirabile. Beatrix Gazæa matrona honeſtiſſimo ciui Romano nupta erat Romæ, delicijs æque, ac diuitijs nobilis. Ea religionis ergo Lauretum venit Maio menſe anno huius ſeculi XCIII. Confeſtim itaque interiorem ſanctiſſimæ cellæ partem intrat, vbi religioſiſſima Lauretanæ Virginis puerum Ieſum gremio tenentis effigies propius viſitur, coliturque: ea eſt precioſiſſima veſte, cultuque ad magnificentiam exornata. Ibi igitur fuſis ad Chriſtum, Chriſtique parentem precibus, Gazæam cupido cepit Virginis ora, ornatumque intentius contemplandi. Ergo obtuſiorem oculorum aciem cauſata cuſtodem (is tū erat Papyrius N.) rogat, vt admoto ardenti cereo, Deiparæ

paræ ſimulacrum ſibi accuratius oſtendat. Morem gerit il-
le haud grauate. ardenti face admota ſimul Virginē oſten
tat, ſimul Gazeæ rogatu, ſingulorum donorum laudat au
thores. Inter cætera donum erat egregium, frontale ex
vnionibus eximia magnitudine, ac ſpecie, à matrona Ro-
mana Virgini dicatum. Ea mulier delicijs, ac luxui de-
dita in paucis, etſi atroci genere mortis, tamen Chriſtia-
nè admodum, pieque nuper è vita deceſſerat. Huius er-
go nomine audito Beatrix, vt eam familiariter norat,
extemplo admirabunda ſucclamat. En cauſa, cur illa
B. Virginis munere, delicatæ vitæ tam pium exitum inue
nerit. Inde ad cuſtodem verſa, & ego, inquit, haſce armil-
las, quibus nihil carius habeo, Chriſto, eiuſque parenti
libenter dicarem, ſi crederem feminæ improbæ donum
non ingratum illis futurum. Tum cuſtos timidæ nimium
mulieri animos facere: Chriſtum improborum Saluato-
rem, Mariam Patronam eſſe memorans. Itaque illa prope-
re armillas antiquo opere ex gemmis, auroque factas ſibi
detrahit, & cuſtodi tradit offerendas Ieſu, matrique. Proti-
nus cuſtos furcillam arripit tales ad vſus paratam: am-
baſque ei armillas inſerit: mox ſacroſanctæ ſtatuæ admo-
uet ea mente, vt de pueri Ieſu erectis dexteræ digitis (ne-
que enim occurrebat in præſentia locus commodior) eas
ſuſpenderet. Cæterum haſtā reducens animaduertit, ar-
millarum vnam hæſiſſe furcillæ, alteram digitis Ieſu pue-
ri præteritis, manum occupaſſe, idque ita apte, vt aptius
non poſſet. mira res, vt erat cuſtodi viſa, tamen poterat
eſſe fortuita. Subinde igitur haſtam nihil prorſus loco mo
tam eodem refert, armillam alteram indidem ſuſpēſurus.
Ecce aliud haud dubium miraculum. Dum ſenſim furcil-
lam ad ſe reuocat, ratus in eadem Chriſti manu hęſiſſe
donum, repente videt armillam è dextra lapſam in læuā
manum, deiectoque in gremium Virginis aureo globo,
quem puer Ieſu illa manu ſuſtinet, ſiniſtræ manui inſertam
apte, atque eleganter adeo, vt ſcalis admotis, per otium,

de induſtria aptius,elegantiuſque inſeri haudquaquã poſſet. Tum vero cuſtos repente ex rei admiratione, ſacro quodam perfuſus horrore,mulierem compellat. En Chriſtus donum tuum ſibi cordi eſſe ſatis oſtendit, qui me alia omnia agente, ſibi ipſemet armillas induit tuas. At illa extemplo cœleſti tacta numine ingemuit: & ſiue ex veteri ſuperioris vitæ luxu, ſiue ab recenti diuinæ beneuolentiæ indicio, ingentem inter ſingultus, lacrymarum vim profudit, ſic prorſus, vt ab ijs, qui in altera ſacri cubiculi parte ſupplicabant, lacrymantis gemitus, & ſingultus exaudirentur. Itaque nonnulli rei nouitate exciti propere ad ſanctioris cubiculi ianuam accurrunt: mulierem cernunt lacrymis, ac religione perfuſam, cuſtodem ipſum tantę rei admiratione defixum. Is deinde cum alijs multis,tum mihi ipſi rem, vti erat geſta, narrauit. Omnibus facti,euentique ſeriem reputantibus mira res viſa:multorumque ſermonibus, ac litteris celebrata. Hodie puer Ieſus eas armillas manibus geſtat, huiuſce rei monumentum.

Duo ex mortis faucibus erepti. Cap. XXVII.

SED hoc mirabile magis, quam miraculum cuipiam fortàſſe videatur. Sequitur aliud manifeſtum certe miraculum. Eodem anno Bartholomeus Meliorinus Genuenſis haud obſcuro loco natus, Placentiæ ex iurgio, vt fit, ad manus venit. Erat ipſe ſolus: rixa orta in ædibus Florentini mercatoris cum ipſo ędium domino. Accurrentes igitur ad primum tumultum domeſtici,arreptis armis domino ſubſidium ferunt. Ibi in pugna Meliorinus graue in humero vulnus accipit: & quo grauius ſit, pugio magna vi adactus in medio frangitur. Rixa aliorum intercuſſu ſedata: Meliorinus grauiter ſaucius domum relatus.

Extem-

Extemplo medici adhibentur, abſterſum vulnus inſpiciunt, reperiunt mucronem oſſi alte infixum penitus hærere: nec aliter extrahi poſſe, quam vt ſecando vulnus augerent, quo ars ad telum perueniret. Ergo diſſecta circa vulnus quadrifariam in crucis modum carne, pugionis fragmentum forcipe conantur euellere. Cum res non procederet, nouum durumque remedium excogitant. Mucronem pertinaciter hærentem, pulſato è regione pectore dimouere nituntur, exacerbantes ſubinde acerbiſſimũ plagæ dolorem. Poſteaquam ſimul pulſatus, ſimul forcipe attractus pugio nulla lababat ex parte; ſeuere pronunciant, actum eſſe de illius ſalute, niſi eum Deus reſpexerit. Et iam fama de eius morte Genuam perlata fecerat, vt pro mortuo lugeretur à ſuis. At ille humanæ opi diuinam addendam ratus, Lauretanæ Virginis auxilium implorat. Mira res dictu, viſuque. repente mucro loco motus forcipem facilis ſequitur: non tam humana vi, quam cœleſti eum exire ſentires. Itaque æger voti compos, vbi primum ex vulnere conualuit, Lauretum contulit ſe hoc ipſo anno M.D.XCIIII. cum ibidem hæc maxime ſcriberemus: ingentibuſque Virgini gratijs actis, fragmentum apud eam pugionis reliquit, tam inſignis beneficij argumentum. Per idem tempus ex eadem ciuitate Ioannes Baptiſta Iudex adoleſcens genere, ac diuitijs nobilis, voti reus Lauretum venit. Eum proximo ſuperiore anno Venetijs, grauis, minaxque adorta febris attrociſſime afflixerat. Ventum erat ad extrema. Deſerto à medicis nulla ſpes ſalutis ſuberat. At ille (vt erat Lauretanæ Virgini addictus in paucis) patronam ſuam moribundus fidenter implorat. Nec ſua illum fruſtrata fides. Medici iam deſperata ęgri ſalute, mortem haud dubiam opperiebantur; cum à domeſticis ad eum reuocati venarum pulſum explorant. Extemplo ſalubribus indicijs erecti, magnam & ipſi ſpem valetudinis concipiunt, & ægroto, ac neceſſarijs faciunt. Nec irrita ſpes. Aeger ex eo in horas ſingu-

las, ac pene momenta, leuius habere cœpit, quoad excuſſa febri, paucis diebus conualuit omnino. Igitur anno inſequenti perrexit Lauretum ad vota reddenda. Ibi mihi hæc ipſa memoriç prodenti rem omnem, vti à me commemorata eſt, ipſemet enarrauit.

Homo facinoroſus ante confeſſionem ſacroſanctæ cellæ aditu diuinitus prohibetur. *Cap. XXVII.*

HAec quoque tempeſtas nouis miraculis oſtendit, quantæ Deo ſit curæ ſanctitas Lauretanæ Domus. Per ea tempora Lauretũ venerat peregrinus quidam omnibus ſceleribus coopertus, & profligatæ vitæ apprime tenax. Huic igitur ſanctiſſimæ cellæ limen intrare auſo, repente in ipſo aditu vmbra quædã horrenda ſpecie ſe obiecit: quæ proiectæ audaciæ hominem fregit, ac repulit ingenti pauore perculſum. Ergo ſcelerum cõſcientia ictus ſacerdotem adit animum expiaturus. Cæterum ad recolenda tot annis patrata facinora, multo opus erat tempore, magnoque ſenſu doloris: ipſe autem ad ſacram confeſſionem minime meditatus, ac paratus acceſſerat. Proinde à ſacerdote dimittitur monitus, vt in ſacrum ſacellum recipiat ſe, ibi Dei, Deiparæque ope enixius implorata, in anteactam vitam inquirat ſedulo: tum demum paratior redeat ad confitendum. Dimiſſus ille mandata faceſſit; ſed videlicet mala conſuetudo veram pœnitentiam morabatur: & probri magis, quam culpæ dolor anxium animum ſtimulabat. Eum itaque ſacrum Virginis cubiculum repetentem, eadem illa ſpecies oblata iterum ingreſſu prohibuit. Tum vero ingens illi dolor inuſtus, ſe vt conſceleratum, contaminatumque ab auguſtiſſima ſede, à conſpectu Deiparæ bis abactum eſſe. Extemplo flagitioſæ tabis, vitæque tædio captum, haud vana pœni-

tentia excepit, & dolor offenſi Dei. Ergo conſcientia impenſius excuſſa, flens redit ad ſacerdotem: labes non confeſſione magis, quam lacrymis eluit. Expiato tandem animo, ad auguſtam Virginis Aedem verecunde, ac dubitanter accedit. mirabile dictu. qui audenti clauſus fuerat, verecundanti aditus patuit.

Quidam patraturus cædem in Lauretana Æde diuinitus in diuerſum mutatur. *Cap. XXVIII.*

IIſdem fere diebus aliud haud abſimile accidit. Ciuis Aſculanus honeſtus, ac diues filiolum ex nouo matrimonio ſuſceperat menſe ſeptimo. Hunc nutrici alendum dederat; & quia vnicus, immaturoque partu editus erat, ſolicito ſubinde eum reuiſebat animo. Forte euenit, vt puerum natura imbecillum, nulla nutricis culpa, repentinus morbus extingueret. Enimuero nutrix haud ignara, quãtum mali à pueri patre præferocis ingenij homine immineret ſibi; protinus occulta fuga properat Lauretum, multum in Deipara præſidij ponens. Nec ſpes fefellit. Ille vt vnicum filium exanimem conſpexit, dolore ſimul, iraque amens, furere, incuſare Deum, Diuoſque, nutricem quærere ad necem. Cum ea non compareret, iram in nutricium vertit, quem vulneribus confoſſum pro mortuo reliquit. Neque hic ſtetit cruore imbutus furor. Comperta nutricis ſuga, propere ſuccinctus armis Lauretum aduolat. Irrumpit in templum ea mente, vt nutricem, vel in ipſa ſacroſancta cella ante ora Virginis trucidaret. Luſtratis fruſtra templi receſſibus, ventum erat ad Deiparæ cellam, vbi nutrix expiatis paulo ante vitæ maculis, obnixe B. Mariæ implorabat fidem. Itaque ſub eius tutela, vmbraque latuit. Quippe homini furenti, & cædem anhelanti hæc diuinitus iniecta eſt cogitatio; ſi ſacroſanctum limen

men

men intraret, haud dubie futurum, vt emollito pectore, vlciſcendi omitteret curam. Proinde alio verſus omnes templi angulos perluſtrare cœpit. Ecce autem dum lymphato ſimilis diſcurrit, forte aram B. Mariæ Annunciatæ titulo inclytam prætерit. Hæc ara ſacroſancto ſacello extrinſecus adiecta eſt, ſub feneſtra qua Gabriel Archangelus intraſſe fertur. Igitur ille conſpectis per feneſtram forte luminibus, quæ plurima ante B. Virginem vſque collucent; ſubita loci religione tactus, genua ſubmittit. mira dictu res. Homo ferus, ac ferreus repente mollitur: mutatoque in diuerſum animo, ſacerdotem adit. Ibi abiectis armis, eius genibus aduoluitur, iter alienæ cædis cauſa ſuſceptum, vertere ſe in ſuam ſalutē velle memorans. Cæterū in eo quoque tutela Deiparæ præſens apparuit, quod is ad eundem ſacerdotem applicuit ſe, ad quem paulo ante nutrix acceſſerat. Itaque ille totius negotij ſatis gnarus, Aſculani ciuis confeſſione audita, haud ægre lenitum iam animum perpulit, vt inſonti feminæ ignoſceret. Et Aſculanus vltro recepit, certis ſe indiciis oſtenſurum, bona fide rediſſe cum illa in gratiam. Dictis facta benigniora etiam adiecit. Mulierem domum reductam domeſticis, virum eius benigne curatum agreſtibus præpoſuit rebus, periculo in emolumentum à Deipara verſo. Sub id tempus Collegium Illyricum, vt eius alumni accuratius bonis artibus excolerentur Romam transferri placuit. Clementis itaque VIII. Pont. iuſſu alumni Romam euocati: & Romano Seminario aggregati, ius ac nomen Illyrici Collegij pro ſua parte tuentur. Incidit hæc migratio in annū M. D. XCIIII. qui eſt noſtrę hiſtoriæ poſtremus, vt CCC. ipſos annos Aedis Lauretanæ, noſtra hiſtoria complectatur. Hæc autem pauca de multis, ac prope innumerabilibus elegimus, quæ litteris proderemus, lectorem monuiſſe contenti, tantam eſſe Lauretanarum rerum, miraculorumque ſyluam; vt à nemine tam multa, tam magna dici poſſint, quin multo plura ac maiora dictis ſuperſint.

Cele-

Celebritas & maieſtas Ædis Lauretanæ. Cap. XXVIIII.

CAeterum operæ pretium me facturum arbitror, ſi Lauretanam hiſtoriam breuis commemoratio de incredibilis Aedis Lauretanæ celebritate, maieſtateque concludat. Nullum omnino tempus anni, nullus menſis, dies nullus abit, quin ſanctiſſima Virginis cella à plurimis aduenis celebretur. Nęc Picentium, Italorumque propria hæc laus pietatis, ſed communis tranſalpinis, tranſmariniſque, maxime vero Illyricis, Francis, Belgiſq. Nec deſiderantur Hiſpani, Luſitani, Poloni, atque Germani. Duo tamen ſunt anni tempora populorum, gentiumque omnium frequentia, ac celebritate præcipua, Ver, & Autumnus, quorum alteri dies concepto inibi Deo ſacer, alteri natalis Deip. Virginis initium celebritatis facit. Vtraque autē celebritas trimeſtris eſt, quo tēporis ſpatio maximis populorū concurſibus Aedes Lauretana celebratur pene quotidie; Namque agri Piceni nulla vrbs, oppidum pagus, vicus eſt, quin quotannis cateruatim, populatimque Lauretanam Virginem interuiſat. Quorum exemplum finitimos circa populos Samnitium, Vmbrię, Flaminiæ, Aemiliæ, cæteræque Italiæ ad ſimilem pietatis laudem inuitat. Veniendi ferme ratio talis. Præeunt ſodalitates ſuis quæque inſignibus, vexilliſque diſtinctæ. Plerique enim prę̨ter Chriſti Crucifixi effigiē, Deiparæ aliorumque Diuorum imagines pulcherrime pictas prę̨ferūt. Agmina claudunt ſodalitatū moderatores, ſacerdoteſque cum ſua cuiuſque agminis ſymphonia. Sequuntur dona, argenteæ coronæ, calices, cerei nummis obſiti, præcioſæ veſtes, vrbium, oppidorumue argentea ſimulacra, votiuæ tabellæ, diuinorum beneficiorum B. Maria deprecante partorum indices. Interponuntur ſæpe Angelorum, ſæpe ſacro-

pe ſacrorum vatum, Sibyllarumque de B. Virgine vaticinantium, aliæque perſonæ habitu veſtis inſignes. Sæpe etiam excipit incondita, & promiſcua cuiuſque populi turba. In itinere carmina Deo, Dei parenti, Diuiſque per interualla inuicem canunt. Obuias vrbes cum tranſeunt, eas ad Lauretanę Virginis religionem, cultumque exemplis pietatis accendunt. Simul ac vero Aedes Lauretana in conſpectum ſe dedit (ea quia in edito colle ſita eſt procul conſpicitur) extemplo vniuerſi proſternunt corpora: & obortis præ gaudio lacrymis, Deiparam conſalutant. Inde in ordines abeunt, inſtructiſque agminibus procedenſes canunt litanias, hymnoſque. Nec deſunt, qui exuti propere veſtibus, paratos ad id ſaccos induant, comiteſque ſubſequantur nuda ſibi terga cædentes. Ad Laureti portam peregrinis ſodalitatibus Lauretani ſacerdotes linteati procedunt obuiam: eaſque in templum deducunt cum egregia ſymphonia, feſtoque campanarum, ac tubarum ſono. Vbi ad Aedis veſtibulum ventum eſt, aduenæ denuo proſtratis corporibus, impenſe ſalutant Virginem, tanto vtique animi ardore, ſenſuque; vt cęteri qui adſunt, illorum vocibus emolliti collacrymare cogantur. Poſteaquam ad collucentem facibus, lychniſq. Deiparæ cellam peruentum eſt, Diuæque effigiem intueri, contemplarique cœperunt; incredibile dictu eſt, quæ voces, qui gemitus, quæ lacrymæ, quæ ſuſpiria paſſim exaudiantur. Deum prę́ſentem adeſſe facile ſentias. Pleriq. porro diuino ſimul horrore, gaudioque perfuſi, adeo ſacris illis parietibus adhæreſcunt, vt inde auelli, abſtrahique vix queant. Dumque aram Apoſtolorum, ſacrum armariolum, obſtructam ianuam, ipſumque caminum venerabundi contemplantur: dum meditantium animis B. Virgo in ijs locis aliquid agēs occurit, nullum intuendi finē, nullum oſculandi modum facerent, niſi plurimorum item petentium, ardor obſtaret. Finitimorum populorum hæc ferme ratio eſt. At exterarum gentium peregrini, alij

aut

pedibus, equis alij aut vehiculis gregatim confluunt, plerique peregrinorum habitu, ac notis inſignes. Verum in diſpari habitu aduenarum eminet Aedis Lauretanæ cultus idem. Omnium fere hoc commune eſt, vt delictis expiati cœleſti menſa reficiantur: plerique autem B. Virginis aram iactata pecunia, & precioſis cumulent donis. Quamquā dona inſigniora ſacelli cuſtodibus tradi ſolent, vt in codicem referantur, quo eorum, & ſimul donantium exſtet memoria ad poſteros. Aram Apoſtolorum, & ſcilicet Deiparæ effigiem, pro varietate temporum, magnifica ſemper adornat veſtis, incredibiliſque cultus gemmarum, aliorumque donorum. Sacellum ipſum candidis ſemper cereis, lychniſque argenteis plurimis collucet: aſſiduis prope ſymphoniacorum, muſicorumque organorum perſonat cantibus: & quod caput eſt præſenti Dei numine ſemper affluit, quod in intrantes redundat aduenas: ſic prorſus, vt pios inſolito quodam gaudio, improbos horrore perfundat, ægris remedio, mœſtis ſolatio, torpentibus incitamento, pręſidio periclitantibus, perditis ſit ſaluti. Porro præcipua Lauretani ſacelli frequentia eſt circa ferias Paſchatis, Pentecoſtes, & Natalem Virginis diem. Nam præter alios innumerabiles, qui pedibus, equis, quadrigis ſub Paſcha Lauretum petunt, plurimi ex Longobardiæ, Venetiæ, Dalmatiæque oppidis gregatim nauigijs Anconā delati, ad Lauretanam Aedē ferme pedibus pergunt. Hi fere poſtridie Paſchatis, quo die in Sacro euangeliū de peregrinis Emmauntē petentibus recitatur, peregrinorum habitum ſumunt: & poſt fauſtam Antiſtitum ſuorum precationem, cum ſacerdotibus innocentiæ cuſtodibus pariter ſe dant in viam. Quorum quidem tanta eſt multitudo, vt duodena millia facile excedant. Inde excipiunt finitimorum pagorum, oppidorum, vrbiumque concurſus incredibiles, ac ſubinde agmina plurima, ac maxima fœniſecarum, meſſorumque. Cæterum natalis dies B. Mariæ longe maxima aduenarum

frequentia eſt inſignis, toto pene Piceno (vt de cæteris regionibus taceam) Lauretum confluente. Satis conſtat illo biduo ſupra CC. hominum millia Lauretanã Aedem nuper acceſſiſſe. Itaque neceſſitas Cuſtodes ſacroſancti ſacelli cogit, interiori eius parti cancellos per id tempus extrinſecus circundare; vt in expedito ſit, admittere, quos velint, aut excludere, turbaſque vitare. Omnibus porro anni temporibus militum cohortes, ac turmæ equitum proficiſcentes ad bellum diuertere ſolent Lauretum, vbi rite expiati, ludicris certaminibus militari more celebrant Virginem. Atque hæc incredibilis aduenarum frequentia vias Lauretum ferentes frequentiſſimas diuerſorijs fecit. Itaque hoſpitiorum opportunitas, commoditaſque viarum pedeſtrem quoque peregrinationem, quamuis delicatis, ac debilibus, haud ſane difficilem præbent. Ad hæc itinerum celebritas tanta eſt, vt per ea tempora paſſim occurrant varij peregrinorum greges, ingens vel incitamentum pietatis, vel leuamentum laboris. Ergo ipſe M. Antonius Columna (vt de alijs taceã) vir & opibus, & bellicis rebus inclytus votiuam peregrinationem Lauretanam exſequi ſuſtinuit pedibus. Omninò vt Lauretum tandem ad conſpectum Deiparę ventum eſt, ſuperfundente ſe pijs mentibus Deo, tantam omnes hauriunt cœleſtis lætitiæ voluptatem; vt maximum quamuis laborioſæ peregrinationis fructum ſe cepiſſe fateantur. Hic ego quid memorem quam multi faciant B. Virgini vota? quam multi reddant? quot è flagitiorum emergant cœno? quot inexplicabilibus inceſtarum illecebrarum vinculis animum exſoluant? quot veteres inimicitias, & inueterata odia deponant? quot homines deſperatæ ſalutis, *qui fœdus pepigerãt cũ inferno*, ex inferorũ faucibus erepti reuiuiſcãt? Nã quanto corporibus animi præſtãt, tanto plura, ac maiora in animis, quã in corporibus hominum curandis exiſtunt Virginis Lauretanæ miracula. Vt hæc & alia, quæ attigimus, explicare velle oratione, hominis ſit diui-

nam potentiam (quæ Laureti, vel maxime ſe oſtendit) humana imbecillitate metientis. Itaque ſatius duco ſuccumbere oneri, quam enarranda ſuſcipere ea, quæ vtique pertractando detererem. Hoc vnum liquido affirmare poſſum, Lauretanam celebritatem, maieſtatemque tantam eſſe, quantam qui oculis non ſubiecerint, haud quaquam concipere animis poſſint; vt ſi deinde cum narratis audita conferas, famam re ipſa longe minorem inuenias. Adeo vna in terris Lauretana res non fidem ſolum, ſed famam quoque ipſam, quæ cuncta in maius celebrare ſolet, incredibili maieſtate, ac faſtigio vincit.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HAC HISTORIA CONTINENTVR.

A

ANNALES Flumenſes. 106

Arbores ad S. Domus aduentum inclinatur. 20

B

Baſſa Turcarum inſanabili morbo liberatus. 141

C

Canonici in Aede Lauretana inſtituuntur. 87

Capucini duo è maris fluctibus eripiuntur. 137

Card. Ceruinus in Aede Laur. columbæ indicio, & B. Virginis monitu cognoſcit ſe Pontificem Max. futurum. 143

Carmelitani Aedis Lauret. curam ſuſcipiunt. 70. deponunt, & abeunt. 76

Clementis vij. Priuilegia. 99.

Idem tranſlationem S. Domus ex Galilæa explorat. 106

Clementis viij. beneficia. 255

Collegium xij. puerorum Laureti à Paulo III. inſtitutum. 118

Collegium Societatis Ieſu Laureti à Iulio iij. inſtituitur. 134

A Paulo iiij. augetur. 146

A Pio iiij. ſtabilitur. 169

Collegium Illyricum à Gregorio xiij. inſtituitur. 220

Romam à Clemente viij. trāſfertur. 270

Cæci illuminati. vide Miracula.

D

Dalmatarum luctus, amiſſa natali Virginis Domo. 18

Deſiderium eiuſdem. 19

Dalmata Sacerdos ſua exta manu præferens Lauretum venit. 91

Domus B. Mariæ magno honore in Galilæa colitur. 4

In Dalmatiam aſportatur. 8

Diuinitus agnoſcitur. 12

Legatis in Galilæam miſſis exploratur. 14

In Piceni ſyluā transfertur. 20

Inde in collem duorū fratrū. 24

Poſtremo in locum vbi nunc eſt. 26

Eius veſtigia. 26

Situs admirabilis. 29

Dalmatarum indicio agnoſcitur. 31
Deinde B. Mariæ admonitu. 32
Legatis in Galilæam miſſis iterũ ac tertio exploratur. 34. 106
Cæleſtibus flammis decoratur. 37. 41. 132. 135. 136
Dubitans de Lauretana domo male multatur. 159. 162
Violatores S. Domus diuinitus vindicantur. 160. 163. 172. 232. 233. 247
Dona, & beneficia Sũmorum Pont.
Clementis vij. 99
Clementis viij. 255
Gregorij xiij. 203. 230
Innocentij viij. 70
Iulij ij. 77. 82
Leonis X. 86. 90
Marcelli ij. beneficia deſtinata. 145
Martini v. 51
Pauli ij. 65
Pauli iij. 114. 131
Pij ij. 56
Pij iv. 169
Pij v. 193
Xyſti iv. 67
Xyſti v. 139. 140
Dona ciuitatum & oppidorum.
Coronæ argenteæ. 111
Simulacra argentea. 112
Anicia vrbis Frãciæ. 215. 233
Arretij. 189
Aſculi. 193
Bononiæ. 193. 241
Camerini. 192
Corneti. 242
Fabriani. 192
Firmi. 112. 189
Lugduni. 214
Macereti. 128
Mediolani. 193
Montis ſancti. 193
Panormi. 213
Piſauri. 112
Recineti. 75. 193
Sarnani. 128
Spelli. 189
Vici Varronis. 128
Viterbij. 192
Vtinæ. 152
Dona Cardinalium & Epiſcoporũ.
Card. Abaltaemps. 192. 216
Card. Alexandrini. 193
Card. Aragon. 189. 130. 132
Card. Auguſtani. 132. 142
Card. Auſtriæ. 118. 242
Card. Caſii. 142. 257
Card. Carpenſis. 132. 142. 148
Card. Columnæ. 230. 250
Card. Cuſani. 230
Card. Eſtenſis. 216. 230
Card. Gaetani. 231. & 32.
Card. Lotharingi. 256
Card. Madrucij. 218. 229
Card. Mantuani. 193
Card. Medices. 142
Card. Montini. 112. 192
Card. Montalti. 192. 258
Card. Pacecbi. 192
Card. Palmerij. 113
Card. Peruſini. 192
Card. Riarij. 129. 216. 230
Card. Ruſticucij. 257
Card. S. Georgij. 193
Card. S. Praxedis. 189
Card. SS. Quattuor Coronat. 112

Card. Sfondrati. 252. 256
Card. Tranenſis. 78
Card. Tridentini. 132
Card. Vinerij. 192
Card. Vrbinatis. 192. 217
Archiepiſcopi Altouiti. 132
Epiſcopi Cortonenſis. 127
Epiſcopi Eugubini. 241
Epiſcopi Recinetenſis. 59
Dona Principum ac Dynaſtarum.
Archiduc. Auſtriæ. 228. 237
Aſcanij Columnæ. 127
Amadæi Dynaſtæ Sabaudi. 218
Baronis Valcaſſani. 257
Baſſæ Turcarum. 113
Comitis Fulginatis. 129
Comit. Iuſti. 243
Comit. Martinengi. 243
Comit. Oliuares. 242
Comit. Rangonis. 112
Comitis Sfondrati. 253
Ducis Ariani. 149
Ducis Atriæ. 230
Ducis Bauariæ. 218. 227. 229
Ducis Epirotarum. 149
Ducis Ferrarienſis. 127. 142
Ducis Gioioſæ. 222
Ducis Grauinæ. 142
Ducis Humalæ. 223
Ducis Mantuani. 149. 242
Ducis Mediolanenſis. 127
Ducis Parmenſis. 127
Ducis Pernonij. 224
Ducis Traiectenſis. 113
Ducis Terrænouæ. 230. 257
Ducis Sabaudiæ. 230. 241
Ducis Sermonetæ. 149
Ducis Seminariæ. 257
Ducis Vrbini. 132. 142. 148. 242
Ioannis Auſtriaci. 206
Laurentij Medices. 69
Magni Magiſtri Melitenſis. 112
Magni Ducis Hetruriæ. 258
Marchionis Aquæuiuæ. 218
March. Badenſis. 225
March. Bitontini. 113
March. Capurſii. 241
March. Eſtenſis. 230
March. Imperialis. 242
March. Lippæ. 242
March. Mantuani. 142
March. Riani. 257
March. Roburei. 243
March. Tripaldæ. 112
March. Vaſti. 113. 241
Nicolai Frangipani. 19
Principis Aſculani. 191
Principis Biſiniani. 128. 132. 142. 220
Principis Stiliani. 241
Principis Mantuani. 242
Principis Venuſini. 257
Proregis Neap. 143
Regis Franciæ. 222
Regis Romanorum. 143
Dona illuſtrium ac nobilium feminarum.
Beatricis Gazææ. 264
Camillæ Perettæ. 243
Clæliæ Farneſiæ. 189
Conſtantiæ Carrettæ. 218
Conſtantiæ Leiuæ. 143
Claudiæ Turnoniæ. 224
Comitiſſæ Briatici. 216
Comitiſſæ Palenæ. 141
Comitiſſæ Populi. 128
Duciſſæ Amalphetanæ. 128

Duciſſæ Bouini. 147. 247
Duciſſæ Branſuichien. 229
Duciſſæ Cliuiæ. 241. 243. 260
Duciſſæ Ferrarien. 181. 189
Duciſſæ Grauinæ. 189
Duciſſæ Lotharingæ. 210
Duciſſæ Mantuanæ. 149
Duciſſæ Montalti. 189
Duciſſæ Niuernien. 259
Duciſſæ Vrbini. 128
Magnæ Duc. Hetruriæ. 208. 261
Duciſſæ Parmenſis. 241
Hieronymæ Spinulæ. 259
Iſabellæ Sabaudæ. 260
Iuſtinæ Vicecom. 260
Liuiæ Pignatellæ. 241
Marchioniſſæ Mantuanæ. 90
Marchioniſſæ S. Crucis. 218
Marchioniſſæ Vaſti. 113. 128
Margaritæ Auſtriacæ. 128. 149 207
Mariæ Boadiliæ. 259
Principiſſ. Amalphetanæ. 241
Principiſſ. Biſinianæ. 260
Principiſſ. Caſteluetranæ. 243. 259
Princ. Sulmonen. 216
Princ. Vaſtallæ. 259
Princ. Venuſinæ. 216. 257
Portiæ Vitelliæ. 242
Portiæ Caſiæ. 143
Proreginæ Boemiæ. 241. 253. 259
Proreg. Neapol. 113. 242
Proreg. Samnitium. 128
Reginæ Franciæ. 241
Reginæ Hungariæ. 90
Salluſtiæ Creſcentiæ. 260
Violantæ Farneſiæ. 259
Dona nobilium & illuſtriũ virorũ.
Alex. Calcagnini. 212
Alfonſi Coronei. 253
Alfonſi Vicecom. 241
Antonij Perotti. 85
Antonij Leiuæ. 90
Antonij Pallauicini. 256
Antonij Pignatelli. 128
Antonij Spinelli. 241
Auguſtini Auriæ. 149
Baſſani Mantuani. 127
Bernardi Strozij. 257
Bernardini Sanquinij. 127
Dionyſii Delphyni. 253
Equitis Videboni. 243
Equit. Belgæ. 250
Federici Tomacelli. 241
Ferdin. Gonzagæ. 108. 257
Franciſci Deitriſtan. 258
Franciſci Gaetani. 189
Georgij Monachi. 78
Hercules Mariæ Sfort. 137
Hieron. Grimaldi. 242
Honorij Sabelli. 137
Iaſonis Villani. 257
Ioan. Piccolhominei. 230
Io. Bapt. Carafæ. 98
Io. Bapt. Duaræ. 230
Io. Caroli Imperiali. 258
Io. Franciſci Boſſii. 112
Io. Iacobi Grimani. 258
Iulij Monaldi. 128
Lælij Pignatelli. 252
Leonardi Vinerij. 128
Lucæ Turregiani. 257. 258
Ludouici Georgij. 223
Ludouici Giſilardi. 112
Ludouici Martinengi. 230
M. Antonij Blanchetti. 243

Oliuerij

Oliuerij Fagnani. 113
Pardi Pappacodæ. 112
Petri Lomellini. 258
Petri Tyranni. 253
Pompilij Bononienſis. 128
Pyrrhi Gonzagæ. 112
Sfortiæ Pallauicini. 216
Victorij Labdamari. 257
Vincentij Alfani. 112
Virginij Vrſin. Noment. 258
Dona Turcarum. 113. 141

E

ELeemoſinæ Domus Lauretanæ. 60. 119
Epiſcopi Conimbricenſis malo doctus lapidem S. Aedi ablatum remittit. 174

G

GRegorij xiij. beneficia. 203
Eiuſdem donum. 230

H

HIſtoria Lauret. Præpoſiti Teremani. 61
Baptiſtæ Mantuani. 71
Hieronymi Angelitæ. 106

I

INdulgentiæ Benedicti xij. 46
Vrbani vi. 48
Bonifacij ix. 49
Martini v. 51
Nicolai v. 53
Pauli ij. 65
Xyſti Quarti. 67
Iulij ij. 77
Gregorij xiij. 203
Clementis viij. 255
Iudæus carcere liberatus. 187
Iulius ij. à bombardæ ictu protectus. 81
Templum Lauretanum munit. 80
Aedes Pontificias condit. 84
Iulij iij. beneficia. 133

L

LAuretana Domus vnde appellata. 20. 23
Turcas inuadentes fugat. 69. 93
Chriſtianorum exercitum inuadentem terret ac mutat. 94
Inter infeſtas copias militum intacta permanet. 52. 150
Lauretana templa paſſim excitata. 120
Lauretum conditum. 38
Manibus cinctum à Leone X. 97
Salubrius redditur à Clemente vij. 114
Et à Saxatello Præſide Lauret. 191
Recinetenſi ditione eximitur à Iul. ij. & Clemente vij. 78. 99
Recinetenſibus redditur à Paulo iij. 115
Adimitur à Pio iv. 197
Epiſcopali ſede, & ciuitatis iure donatur à Xyſto V. 236
Lauretanum templum à Recinetenſibus conditum. 44
Eo diſturbato, aliud magnificentius à Paulo ij. Pont. Max. inchoa-

inchoatum, caleſtibus flammis decoratur. 38. 41
Lauretani templi opulentia Eugenio Quarto Pont. 52
Lauretanæ Aedis hoſpitalitas. 15. 192. 221
Lauretanæ Aedis celebritas. 204
Lauretani Patroni.
Card. Robureus. 68
Card. Bibiennenſis. 97
Prior Capuanus. Ibid.
Card. Contarenus. 115
Card. Carpenſis. Ibid.
Card. Vrbinas. 170
Card. Moronus. 217
Card. Vaſtauillanus. 221
Card. Gallus. 238
Leonis X. Priuilegia. 86. 87
Dona. 90

M

Martini V. Indulgentiæ, & priuilegia. 50
MIRACVLA variorum generũ.
Architectus ſacros parietes per fodere aggreſſus exanimatur. 101
Bombardæ ictu liberatus. 81
Cæci illuminati. 152. 184. 185. 213
Carcere exempti. 155
Iudæus carcere emiſſus. 187
Caſu & ruina liberati. 108. 129. 177. 178. 212. 223
Dæmoniaci liberati. 73. 183. 184
Dæmonum ſeruitio exempti. 164. 165. 167
Dæmonum tentationibus liberati. 67
Fluminum periculo erepti. 180. 193
Fulminibus exempti. 138
B. Maria in ſomnis apparet eadem forma, qua Laureti colitur. 248. 249
Maris fluctibus erepti Capucini duo. 137
Morbis deſperatis erepti. 12. 66. 213. 214. 248. 249. 262. 263
Mortis e faucibus erepti.
Iulianus Caſarinus. 108
Sicula puella iugulata. 157
Neapolitanus xij. mortiferis plagis confectus. 212
Marchio Badenſis. 224. 225
Baſſa Turcarum. 141
Mutis linguæ vſus redditus. 185. 186
Naufragio liberati. 154. 178. & 79.
Paralytici curati. 79. 209
Peſtilentia liberatæ vrbes & oppida.
Anicia. 215
Lugdunum. 216
Panormum. 215
Recinetum. 76
Vtina. 152
Principes viri peſtilentia exempti.
Card. S. Marci, qui poſtea Paulus ij. Pont. fuit. 64
Prædonum manibus erepti. 194. 235. 245. 246
Podagrici ſanati. 182. 214
Puella ſeptennis à B. Maria Lauretum adducitur. 38
Puteo exempti. 139
Sacerdos Dalmata ſua exta manu

nu præferens Lauretum venit. 91
Steriles fecundatæ. 180. 181
Surdis auditus redditus. 251
Seruitio Turcarũ liberati. 194. & 95. 202
Supplicio exempti.
Vaiuoda Tranſylu. 108
Alij. 197. & 198. vel 99.
Suſpendio erepti. 156. 196. vel 98.
Tempeſtate maris erepti. 153. & 194. 147

P

PArietes S. Domui adiecti recedunt. 93.
Paulus à Sylua Heremita. 32. & 41.
Paulus ij. Pont. Max. B. Virginis Lauret. ope peſtilentia liberatur 63.
Templum Lauret. condit. 64
Indulgentijs, & beneficijs ornat 65.
Paulus iij. beneficijs cumulat Aedem Lauret. 114. bis inuiſit. 131.
Picentes Lauretanam Virginem Patronam adoptant. 36. egregie tuentur. 170
Picentium Sacellum in æde Lauretana. 237.
Pius ij. Pont. Max. voto Lauret. Virginis facto ſanatur. 56.
Eiuſdem donum. Ibid.
Profectio ad Aedem Lauretanam. 57
Pij Quarti beneficia. 169

R

REcinetenſes S. Domui templum circundant. 44
Eorundem præcipua religio erga Lauretanam Virg. 46.
Eorundem Donum. 76
Reginæ Neapolitanæ Lauretan. Aedem adeunt. 86.

S

SOl per vtrumque æquinoctiũ Lauretanam Virgin. quodammodo ſalutat. 30

T

TEſtimonia de Aede Lauret. Summorum Pontificum.
Pauli ij. 61
Xyſti Quarti. 68
Iulij ij. 77
Leonis X. 87. 88. 97
Clementis vij. 99
Pauli iij. 114
Pij Quinti. 190
Teſtimonia Hiſtoricorum.
Fl. Blondi. 52
Baptiſtæ Mantuani. 71
F. Leandri. 110

X


XYſti Quarti Indulgentiæ & & beneficia. 62. 68
Xyſti V. beneficia. 136. 140

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	lin.			Pag.	lin.		
10	24	honore	horrore	155.	11	XVXII.	XXVII.
11	12	arcus	atcu	158.	30	miraculũ	miraculum
32	21	irritæque	irriſæque	161	23	ex templo	extemplo
57	1	FELIX	INFELIX	164	4	aſſicitur	aſficitur
59	18	eximiæ	eximie	175	5	accelerandã	accelerandũ
60	25	ſuos	ſuas	Ibid.	27	mille	bis mille
62	22	aduenis	aduenas	189	5	Præxedis	Praxedis
69	18	per Franciſcũ	Perfranciſcũ	207	10	extemplo	exemplo
70	22	intexta	contexta	214	in marg. &		os
77	19	defigendum	defigendam	224	vlt.	grande	glande
83	25	liminibus	luminibus	229	3	obſcuriore	obſcuriora
92	3	ait	ais	Ibid.	22	deſtinctum	diſtinctum
96	8	redunt	redeunt	237	17	Virginis	Virgini
103	5	diſignatum	deſignatum	249	12	Bergamo	Bergomo
105	4	collum	collium	Ibid.	17	ſemetque	ſemet
107	32	lapidium	lapidum	254	25	diploſione	diſploſione
110	5	Domiciana	Dominicana	258	1	Virginis	Virgini
116	28	induria	iniuria	Ibid.	7	dicarant	dicarunt
122	28	Diæceſi	diœceſis	264	5	quæ	quod
153	26	duplici	duplicis	271	5	incredibilis	incredibili
154	16	memoriæ	memoria				

Cætera quiuis poteſt ipſe per ſe & videre & corrigere.



REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm.

Omnia ſunt folia integra, præter Mm, qui eſt cum dimidio.



R O M Æ,

Ex Typographia Aloyſij Zannetti. M. D. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

AK 1470035

E 43